DE GRÆCA SACRARUM LITTERARUM EDITIONE A LXX. COGNOMINATA INTERPRETIBUS DISSERTATIO

AUCTORE


LIBERATO FASSONI

DE CC. RR. SCHOLARUM PIARUM

EMERITO SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE

ACADEMIARUM DE CONCILIIS PONTIFICIÆ
ET ETRUSCÆ SODALI.

EDITIO ALTERA AUCTIOR ATQUE EMENDATIOR.





ROMÆ MDCCLVIII.

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL APUD MONTEM JORDANUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

LIBERATI FASSONI

CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

A D

JOSEPHUM TORRUBIAM

EX MIN. OBSERVANTIUM SODALITATE

COMMISSARIUM IN CURIA GENERALEM

VIRUM AMPLISSIMUM ATQUE DOCTISSIMUM

EPISTOLA.



TSI hoc opuſculum quadriennio ante a me in lucem editum & tibi probatum videretur, & iis, quos ego poſſe judicare arbitrarer, idemque præterea, diſtractis omnibus exemplaribus, ſtudioſe ab amatoribus meis, officioſis in me hominibus, expeteretur; præter conſuetudinem tamen, divulgandum ne rurſus eſſet, an potius comprimendum, ut ne in publicum emanaret, diu, multumque hæſi, &, fluctuante cogitatione, quo me verterem, non habebam. Plura enim deliberanti mihi veniebant in mentem, quare nonnullorum potius offenſionem timerem, quam ſperarem

 faci-

facilitatem; ego vero, qui vitæ rationum non omnino imperitus sum, otium, & tranquillitatem animi, qua una in his tot miseriarum fluctibus, & procellis beati aliqua ex parte esse possumus, rebus omnibus, ne dempto quidem gloriæ studio, antepono. Nam cavenda est nimia gloriæ cupiditas, quod scienter præcepit Tullius in primo de Officiis. Alte enim spectare si volumus, & ad res injustas impellit, & eripit libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Ex alia vero parte an non id malorum abunde est, quæ, ut summa docent auctoritate Philosophi, ipsa naturæ necessitas, & infirmitas secum affert, ut etiam voluntaria arcessere, quasi degustandi gratia, oporteat? Hæc mecum, atque alia ejusmodi cum attentius expendissem, latendi consilium propemodum ceperam, cum ecce, JOSEPHE TORRUBIA, tuis monitis, & hortatibus nutantem ancipiti deliberatione animum confirmasti, impetrastique a me tandem, ut, neglectis paucorum judiciis, virorum sapientissimorum æquitate, & testimonio conscientiam meam sustentarem, opusculumque ut iterum in vulgus exire, atque emanare posset, committerem. Multa eam in rem pro ingenii tui altitudine præclare, prudentissimeque explicasti, itaque non potui, ut dixi, quin auctoritati tuæ cederem. Illud etiam mihi ponebam ante oculos, magnam fuisse semper orationis vim in utramque partem, ut, quemadmodum neque ipsa assentatio, aut mendacium placere solet sine quadam ratione, artificioque dicendi, sic contra non odiosa sit veritas, quæ lenitate sermonis aspersa, certisque pudoris, ac verecundiæ lita luminibus in animos illabatur; nisi si quis est aut moribus ita asper, ut nullam a licentia, & contumelia sejunctam veritatem putet, aut ingenio ita delicatus, ut ne honestam quidem, atque legitimam Theologi libertatem ferre possit. Quorum ego hominum fastidium, atque insulsitatem adeo non moror, ut prudentis contra, constantisque viri esse arbitrer ineptis ejusmodi opinionibus a recta scribendi ratione

tione

tione non deterreri. Accedit, quod qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic, auctore Tullio in eodem, quem exposui, loco, in magnis viris non est habendus.

Abiicio igitur, Torrubia Amplissime, *omnem cunctationem, & metum, librumque hunc in manus hominum iterum venientem, sed eundem tamen & meliorem non nihil, ut spero, & multis partibus locupletiorem, tanquam testem, & indicem voluntatis erga te meæ cupidissime tibi offero, dedicoque, ea merito adductus caussa, scriptionis nostræ fructum ad neminem prius, quam ad eum pertinere debere, a quo fere accepimus, ut scriberemus. De tuis ergo laudibus, atque virtutibus, quas tamen unice diligo, conticescam. Quippe, vides, eo tantum nomine Dissertatio ad te nostra revertitur, ut studia tibi omnia, officia, fidem Auctoris sui prolixe polliceatur, ac deferat. Ac sane neque laudatore ullo eget, neque teste doctrina tua, quæ libris commendata sapientissimis ipsa de se, vel tacentibus aliis, prædicat, atque testatur: quibus in libris habent præsentes quod legant, posteri quod suspiciant, vestraque ipsa universa sodalitas expromat ad ornamentum dignitatis, atque ad præsidium stabilitatis suæ. His ego verbis cætera quidem opuscula & numero plura, & merito perillustria in publicam dudum a te lucem emissa designo, ac noto; sed Annales particulatim intelligo Familiæ vestræ, quos jam inde ab annis viginti tuorum decreto, & consilio Antistitum Hispanicis tradendos litteris suscepisti, tum vero Apparatum historiæ naturalis, quem omnibus doctrinæ copiis, atque luminibus distinctum, & in maximum volumen relatum publicis etiam usibus divulgasti. Neque id sane mirum, aut de assentatione suspectum. Longissimis enim susceptis in Asiam, atque in Americam itineribus bis totum fere terrarum orbem tuis non dicam cursibus, sed studiis, atque animadversionibus peragrasti. Hinc autem fructus eruditionis percepisti suavissimos, opesque maximas, rerumque pulcherrimarum affluen-*

tiam

tiam ad ditandam naturalem historiam attulisti. Itaque hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam fortasse in tuis operibus esse laudem ampliorem, quam eam, quam scripto illo Apparatu consecutus es: ubi & multa reperiant Plinius, Seneca, Dioscorides, quæ tibi invideant, & multa, atque præclara Philosophi, vel quæ sibi decerpant, vel quibus certe Physicæ disciplinæ non parum adhibeant auctoritatis, & luminis. Quod ergo a viro clarissimo, naturalisque historiæ scientissimo Antonio Baldano, de Apparatu hoc tuo verba cum faceret, dictum accepi, talem eum esse, ut dignus plane Torrubia *sit, cui statua apud Hispanos decernatur, in eo ego neque gravissimi testimonii pondus, neque veritatem, aut judicii laudem desidero. Libri vero omnes, qui a te prodierunt, quanta orationis suavitate & gratia perscripti sunt, quanta non solum approbatione bonorum omnium, sed etiam commendatione eloquentiæ tuæ? Eadem Hispanorum lectissima natio, cujus tu linguam tuis litteris illustrasti, probe agnoscit, & sentit, & sæpe alias non obscuris, neque occultis honoris significationibus declaravit.*

Ad me vero quod attinet, facile sic existimo, labores hos tuos, doctrinarumque lumina plurimarum spectasse cumprimis & Hispaniæ homines prudentissimos, quorum suffragatione, & sententiis in regiam Historiarum Academiam nomen dedisti, & viros Ordinis vestri principes, qui in te perspicua gloriæ insignia, præfecturasque amplissimas contulerunt, eam potissimum, quæ est de exterarum provinciarum negotiis, maximisque rebus in Romana Curia procurandis. Illi enim nobilissimum cætum, atque collegium cohonestari eruditissimi hominis honore, & nomine præclarum duxerunt, hi putarunt indecorum non præponi fere omnibus in magistratibus, & in imperio, qui tot sapientiæ suæ constituisset monumenta, qui propagandæ religionis studio singulariter floreret, qui omni virtutum, ac pietatis genere excelleret. Atque harum ego, & tan-

tantarum rerum testes excitare possem ad faciendam fidem longe idoneos disjunctissimos illos in Asia, & in America populos, apud quos sacri praeconis, oratorisque munere perfunctus es, quique tui absentis memoriam summa cum fide, benevolentiaque conservant. Commemorarent illi labores a te fortiter exantlatos, ut verae religionis fines prorogares, commemorarent assiduitatem, atque constantiam, qua utebaris, ne quis in profanas superstitiones relapsus ab inito Christianae vitae proposito, & sanctitate desciscerets, commemorarent qua industria, quibus studiis linguarum tibi exoticarum scientiam comparaveris, ne qua in parte officio deesses, commemorarent denique justitiam, aequitatem, prudentiam, temperantiam, comitatem, & facilitatem tuam. Quin etiam mihi id esset perfacile ostendere, & argumentis docere, quanta cum laude personam nunc tibi impositam tuearis, atque sustineas, adeo ut & operam, & mores tuos viris Romanae urbis primoribus, Maximoque ipsi Pontifici jam inde a principio probaveris. Sed ultro hoc totum omittam, non tam ut ne offendam tuas patientissimas aures, quam ne parum mihi constare videar, qui professus ab initio sum, tuae virtutis vim eo in loco positam esse, ut cujusquam testificatione non egeat. Finem igitur faciam, tantumque te admonebo, quoniam unius viri narratione, ac sermonibus in aliquam bonam de me discessisti opinionem, vehementer me tibi, atque omni ratione obstrictum esse. Quoniam autem nullae mihi litterae, neque verba satisfaciunt, quibus studio, atque benevolentiae erga me tuae respondeam, ago saltem gratias, quas possum, immortales, & maximas. Tu qua es prudentia, in hac mei ingenii imbecillitate agnosces meriti tui magnitudinem. Vale.

Romae pridie Kalendas Aprilis 1758.

EDUAR-

EDUARDUS CORSINUS A S.SILVESTRO

CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

PRÆPOSITUS GENERALIS.

QUUM Dissertationem inscriptam *De Græca Septuaginta Interpretum Versione* a P. Liberato Fassoni a S. Joanne Baptista Ordinis Nostri Sacerdote compositam duo ex Nostris, quibus id curæ commisimus, probaverint, ipsius edendæ facultatem, quantum in Nobis est, Auctori concedimus.

Datum Romæ in Ædibus Nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem die 18. Februarii 1718.

Eduardus Corsinus a S. Silvestro Præposit. Gener.

Stephanus Quadrius a S. Carolo Secret.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apost.

F. M. de Rubeis Patriar. Constantinop. Vicesger.

APPROBATIO.

LIberati Fassoni e Sodalitio Scholarum Piarum Presbyteri Dissertationem inscriptam *De Græca Sacrarum Litterarum editione &c.* jussa faciens Rmi Pat. Mag. Sac. Palat. Apost. attente perlegi. Quumque Virum percelebrem, aliis editis operibus insignem, ac de Theologicis Studiis optime meritum in difficili sane argumento rem ita versasse noverim, ut severiori etiam adhibita critica, nihil a fide dissonum, aut bonis moribus adversum quod sit, complectatur, hinc e re esse judico, ut typis edatur.

Ex Ædibus S. Mariæ Montium die 31. Martii 1758.

Franciscus Ferdinandus Sanseverinus Piorum Operariorum Sac. Rituum Consultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Magister Socius Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici Ord. Prædicatorum.

DE



D E G R Æ C A
SACRARUM LITTERARUM
E D I T I O N E.

1 
THeologum, hoc eſt Dei quaſi internuncium, rerumque cœleſtium, atque æternarum interpretem, niſi probum, ac verecundum virum, haberi poſſe neminem, ita omnium ſermone illuſtris, ac pervagata ſententia eſt, ut proverbii jam locum obtineat. Quocirca, ſi quidem nolit ab officii dignitate diſcedere, nihil bene morato Theologo & ſanctius, & antiquius ſit, oportet, quam ut non ab omni ſolum vitæ dedecore, ac turpitudine, ſed ab omni etiam vacet temeritate ingenii, atque ſuſpicione arrogantiæ. Cum omnis vero arrogantia odioſa eſt, ait perſpecte Tullius, tum illa ingenii, & venerandæ in primis antiquitatis contemptus, atque deſpicientia multo moleſtiſſima. De ſacris ergo Hebræorum codicibus græce olim redditis ad dicendum, diſputandumque ingreſſuri illud e re præfabimur, quod de ſingularibus Patrum opuſculis verba faciens modeſte æque, ac prudenter tradidit nunquam intermoritura Theologiæ, atque adeo religionis lux Aurelius Auguſtinus. *Solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici vocantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Aucto-*

rem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt (a). Quorſum hæc, inquies? Ne ſcilicet vel imperitis, vel etiam parum æquis judicibus videamur fortaſſis Majoribus noſtris minus, quam deceat, deferre, ac tribuere, ſi quandoque, ubi præſertim hiſtoria agitur, a nonnullis veterum opinionibus recedemus, rationumque momentis probe æſtimatis, recentium ſubinde Theologorum perſequemur veſtigia. Noſtræ igitur diſciplinæ Alumnis [1], litterario jam exeunte anno, publice, ut ſolet, vires ſui periclitaturis ingenii, Græcam divinorum voluminum, quæ Septuaginta adſcripta eſt Interpretibus, editionem ad diſſerendum ſelegimus; argumentum ſane & multis nominibus ad mentem acuendam aptiſſimum, & mira in omnem Theologiam fœcunditate utiliſſimum, & rerum copia, ac varietate jucundiſſimum, in quo proinde nemini deeſſe poſſit oratio. Expendam, quantum ponderis habeat, quæ ſuper Græca illa ſacrarum litterarum interpretatione inveteravit, hiſtoria, a quibus, quo conſilio, quibus & hortatoribus, & loco, & tempore adornari cœpta editio ſit, ad exitumque perducta, atque hinc, an Interpretes jam inde a principio ſingulos veteris inſtrumenti libros in Græcam linguam tranſtulerint; quibus præterea fontibus, aut exemplaribus eam in rem uſi ſint, Judæi ne ſacros codices malo dolo vitiaverint, quæ fuerit, vel eſſe debeat ejuſmodi Græcorum librorum ad perſuadendum auctoritas, quæ Græcæ editionis Sixtinæ, quæ cæterarum tum vis, tum integritas: hæc, inquam, & plura id genus ſimilia, quæ cum argumento, interque ſe apta, & nexa ſint, diligenter expendam, momentiſque ſuis æſtimabo, aliorum identidem Theologo-

(a) Epiſt. 82. ad Hieron. edit. Maurin.

1 Diſſertatio hæc edita primum fuit Urbini anno 1754. eodemque anno Senogalliæ publice habita a noſtris Theologiæ Auditoribus Joanne Baptiſta Paltrono C. R. Scholarum Piarum, Joanne Baptiſta Continio Clerico Anconitano, & Angelo Alphonſo Senogallienſi Diacono. Qua de re monendum initio duximus Lectorem benevolum, ut deinceps, quo ſpectet oratio noſtra, vel cur certa quædam adhibeamus loquendi genera, ſtatim perſpiciat. Noluimus enim orationis contextum mutare.

logorum ſententias, ut omni me invidia liberem, pro re nata in medio poſiturus.

2. Omnium primum veteris, uti loquimur, Teſtamenti divinitas comperta eſt. Singula enim, quæ inibi continentur, volumina, Deo auctore, incitante, & afflante, perſcripta eſſe, plane ad veritatem perſuadent argumenta & complura, & graviſſima a pervetuſtis Patribus, Tertulliano potiſſimum, Origene, & Auguſtino adverſus impios religionis hoſtes Celſum, Porphyrium, Fauſtum, Adimantum, Julianum adhibita. Quin etiam eiſdem argumentis Marcionis, Manichæorum, aliorumque plurimorum error coarguitur, qui duo rerum omnium principia (non duos tamen Deos (*a*), ut arbitror) comminiſcentes ſacroſanctos veteres libros a principio nequam, & improbo repetebant, legemque in primis Moſaicam tanquam malam, ex praviſque præceptis, atque inſtitutis conſtantem, audaciſſime calumniabantur. *Nihil autem temere, aut fortuito loquitur divina Scriptura*, ſi Gregorio credimus (*b*), *ſed & ſyllaba, & apiculus unicus reconditum habent theſaurum*, cum illa aliunde haberi debeat veluti cœleſtis quædam *omnipotentis Dei ad creaturam ſuam epiſtola* (*c*). Quo facile adducimur, ut credamus, minimas etiam ſacrorum librorum dictiones, atque particulas, nedum res, & ſententias, inſtinctu, afflatuque divino fuiſſe litteris conſignatas [2], ut nihil idcirco poſſis in libris illis offendere,

 quod

(*a*) V. Clar. Lazeri S. J. Exercit. de Hæreſi Albigenſ. cap. 1. num. 2.

(*b*) Homil. 12. in Ezech. (*c*) Lib. 4. epiſt. 31.

2 Gravis, ut noſti, ſuper hoc argumento exorta eſt controverſia anno 1587. hinc inter Lovanienſes, Duacenſeſque Theologos, inde inter Hamelium, & nonnullos auctores ex Societatis Jeſu Familia. Noſtra illis probabatur ſententia; hi licet annuerent, Spiritum ſanctum divinis ſemper præſto fuiſſe Scriptoribus, ſuaque adſtantem ope caviſſe, ne quid falſo litteris proderent, nec ſtilum tamen, nec omnes prorſus hiſtorias, res, ſententias a divinæ mentis inſtinctu, & afflatu profectas eſſe rebantur. Quod cum ſuperiores Theologi ægre ferrent, peculiari Cenſura tres Jeſuitarum propoſitiones falſitatis nomine confidenter notarunt, Lovanienſes quidem Theologi anno 1587. Duacenſes vero anno poſtero. Ecce autem ex tribus illis enunciationibus priores duas. I. *Ut aliquid ſit Scriptura ſacra, non eſt neceſſarium, ſingula ejus verba inſpirata eſſe a Spiritu ſancto*. II. *Non eſt neceſſarium, ut ſingulæ veritates, & ſententiæ ſint immediate a Spiritu ſancto ipſi ſcriptori inſpiratæ*.

Ea in re Honoratus Tournely (Tom. 1. de Deo, & D. A. Diſput. prævia Quæſt. 4. de Script. Sacra), cui nos in priori editione aſſenſi fuimus,

quod vel errorem oleat, vel mendacium, vel falſitatem. Deus enim, a quo ſyllabatim dictata, & profecta ſunt omnia, falli, vel fallere, & mentiri qui poteſt? Hallucinati ergo turpiter ſunt, ut alios diſſimulem, bonus potius Grammaticus, quam Theologus, Eraſmus Roterodamus, & Olden *lib.*1. *de Analyſi Fid.* in eam ambo cum veteribus Anomæis conſpirantes ſententiam, Apoſtolos, ac Prophetas humana arte, & prudentia interdum loquutos eſſe, lapſos præterea memoria, ſaltem in levioribus rebus, affectibuſque præpoſtere abreptos genio quandoque, ac naturæ in ſcribendo indulſiſſe.

Ve-

mus, ſic exiſtimat, quæſtionem illam, & litem, quæ maximis utrinque ſtudiis agitata eſt, probe evolutis, definitiſque vocabulis, componi facile potuiſſe. Etenim, inquit, cum Theologi Jeſuitæ negabant, omnes ſacrorum librorum ſententias, atque particulas peculiari divinæ mentis inſtinctu fuiſſe exaratas, *inſpirationis* nomine *revelationem* rei, non autem *inſpirationem*, quæ vere, proprieque dicitur, intellectam volebant; quippe cum alias inſpirationem, hoc eſt illam vim, actionemque inteſtinam, qua Deus hominem tum ad ſcribendum, tum ad rerum ſcribendarum delectum agit, & excitat, in ſacris Scriptoribus non dubitanter agnoſcerent. Sic enim Leonardus Leſſius in Reſponſ. ad Lovanienſem Cenſuram. *Dicimus, non fuiſſe neceſſarium, ut ad ſingulas ſententias, & ſingula verba habuerint novam, & poſitivam inſpirationem ex parte illius, ideſt novam illuminationem, qua novo modo cognoſcerent veritates, quas ſcriberent; ſed ſuffeciſſe, ut Spiritus ſanctus peculiari modo illos excitaret, ac impelleret ad ſcribendum.* Quod ergo olim appoſite dixerat de Peripateticis, atque Academicis Cicero, utriuſque partis Theologi rebus, Tournely judice, inter ſe congruebant, verbis differebant.

Verum non verbis ſolum, ſed totis etiam diſſidebant ſententiis. Dicere enim, Deum tum ad ſcribendum, tum ad rerum ſcribendarum delectum Auctores ſacros excitaviſſe, atque impuliſſe, eſt hoc illis *aſſiſtentiam*, quam vocant, concedere, ne qua in parte fallantur, non autem ſingulas divinorum librorum particulas, dictiones, & voces a Deo repetere. Atqui id in primis urgebant Lovanienſes Theologi, nec ſane immerito. Eorum enim doctrina & ſacrarum litterarum auctoritati magis conſentanea eſt (V. Exercitat. Biblic. habitam in Coll. Romano an. 1756.), & cunctis fere antiquiſſimorum Patrum confirmata ſuffragiis, a quorum ſententia tantis in rebus non facile abeundum putaverim. Video certe quidem, nonnullos noſtra ætate Theologos in *aſſiſtentia* acquieſcere. Sed, ut audacter dicam, quod ſentio, vereor, ut controverſiam ſatis accurate expenderint, vereor, quod caput eſt, ut Heterodoxis reſiſtant, ex vocabulis tricas plerumque nectentibus, liteſque nobis graviſſimas ex eorum vi, poteſtateque intendentibus. Exemplo eſſe poterit vel unum de extrema unctione adhibenda ægrotantibus Jacobi teſtimonium. Itaque meo judicio præclare, pieque faceret, ſi quis totum hunc locum uberius tractaret, iiſque conſtabiliret præſidiis, ut omnem malevolis, atque cavillatoribus ludendi anſam eriperet.

Verum egregie Auguſtinus obſervat, quod, ſi in ſacro quovis libro una quælibet falſitas reperitur, totius libri certitudo interiret: ne intereat igitur, pergit ille, id pro certo habendum eſt, omne erroris, ac falſitatis genus, ſive quæ ex mendacio, ſive quæ ex oblivione naſcatur, a ſacris litteris abeſſe quam longiſſime. In hæc fere verba Auguſtinus (*a*). Abeat nunc Eraſmus, & quaſi vir ſanctiſſimus, atque doctiſſimus errori ſuo præluxerit, ejus teſtimoniis imperitiſſime abutatur.

3. Interim quemadmodum *viginti duo elementa ſunt*, teſte Hieronymo (*b*), *per quæ ſcribimus hebraice omne, quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur; ita viginti duo volumina ſupputantur, quibus quaſi litteris, & exordiis in Dei doctrina tenera adhuc, & lactens viri juſti eruditur infantia*, quinque Moſis, octo Prophetarum, Agiographi vero novem. His voluminibus, ſive libris totus conſtat ſacer Hebræorum Canon, quem Judæi ipſi non ſolum, verum etiam Chriſtiani Patres Eſdræ, tanquam auctori, adjudicandum eſſe conſentiunt. Moventur autem aureo quodam Joſephi loco lib. 1. cont. Apion. ubi narrat is, fuiſſe apud Hebræos in more poſitum, ut, bellis confectis, ſacros códices recognoſcerent, purgarent, in ordinemque redigerent. Nihil vero magis finitimum veritati, quam id muneris poſt Babylonicæ ſervitutis tempora demandatum fuiſſe Eſdræ, viro ſcilicet patriarum antiquitatum, Hebræorum rituum, ſacrarum denique litterarum longe peritiſſimo. Adducuntur etiam exemplo Nehemiæ, quem ex ſecundo Machabæorum libro didicimus, depulſa jam Babylonica ſervitute, divinos gentis ſuæ libros recognoviſſe, atque emendaſſe. *Inferebantur autem in deſcriptionibus, & commentariis Nehemiæ hæc eadem; & ut conſtruens Bibliothecam congregavit e regionibus libros & Prophetarum, & David, & epiſtolas Regum, & de donariis* (*c*). Atque his fundamentis inædificata eſt communis illa, ac pervagata Judæorum opinio, ſacrorum librorum Canonem Synagogæ magnæ auctoritate ab Eſdra concinnatum fuiſſe. Erat enimvero Eſdras ad hoc officii munus aptiſſimus propter eximiam, ut diximus, & exquiſitam quandam divinarum rerum ſcientiam.

4. Equi-

(*a*) Lib. 2. de Conſenſu Evang. cap. 28. alias 12.
(*b*) In Prol. Galeato. (*c*) Cap. 2. ver. 13.

4. Equidem non me præterit, & Richardum Simonium opinionem hanc de Canone ab Esdra composito inter Rabbinorum fabulas amandare, & Benedictum Spinozam, Thomamque Hobbesium statuere, post Judam Machabæum Hebraicum librorum indicem conflatum esse, ei præsertim argumento innixos, quod in hoc indice, & Canone nonnulli libri, vel opuscula obtineant, quæ res multo post Esdram intervallo gestas complectuntur. Neque illud me latet, Isaacum Newtonum suis in Danielem Commentariis non valde ab hac posteriori sententia abhorrere. Verumtamen & superiora argumenta ex Josephi testimonio, & Nehemiæ exemplo conclusa, atque, ut mittam alia, Judæorum omnium, Majorumque nostrorum consensus, & suffragia faciunt, ut Simonii potius, & Spinozæ, & Hobbesii, & Newtoni denique conjecturas fabellis adscribendas putemus. Sane libri isti, qui in Hebræorum Canone numerantur, nec omnes simul conscripti sunt, nec Esdræ primum, aut Judæ Machabæi tempore divini sunt habiti, quod patet ex tota Judæorum historia. Quæ cum sint, quis facile concoquat, Hebræos, divini Verbi studiosissimos Esdræ tempore, recuperata scilicet libertate, libros divinos non curasse, non distinxisse ab aliis, qui non essent ejusmodi, non in unum corpus collegisse? Num crederis, diligentiores fuisse Romanos in libris Sibyllinis custodiendis, quam in suis, eisdemque divinis Hebræos? Itaque nostra illa sententia tam altas radices egit, lateque recepta est, ut Basilius, veteresque nonnulli Patres putaverint, omnes divinos libros, cum in Hierosolymitano excidio funditus periissent, ab Esdra divino Numine afflato ad verbum dictatos esse, & memoriter redintegratos; ut diserte in 4. Esdrino volumine traditur. Quia tamen constat, & librum ejusmodi germanum, ac sincerum non esse, & fabulis redundare frequentibus, & multa præterea cum ea pugnant sententia, id vero simillimum duxerim, Esdram hoc unice sensu Hebraicum Canonem adornasse, quatenus sacros codices a mendis purgavit, recognovit, collegit, in ordinemque, ut par erat, digessit.

5. Quibus breviter delibatis, propius jam ad id, unde omnis caussa ducitur, accedemus. Sacra illa, & plena mysteriorum volumina notus olim in Judæa Deus uni Hebraicæ nationi, quam sibi in populum peculiarem delegerat, & qua prodi-

prodigiis, qua beneficiis, qua omni amoris significatione semper complexus est, paternæ instar hæreditatis custodienda tradiderat, *ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem haberet* (*a*), & ne qua deessent illi præsidia ad salutem animi necessaria sempiternam. Ubi vero plenitudo temporis appropinquabat, qua æternus Pater Filium suum unigenam in terras mitteret, eos, qui sub lege essent, redempturum, in libertatemque Filiorum Dei pristinam revocaturum (*b*), alto quodam divinæ mentis consilio factum est, Hebræi uti codices græce redderentur, pervagatiori nempe, magisque familiari lingua prodirent in lucem, quo homines ad agnoscendam postea Christi divinitatem, complectendamque ejus religionem facilius adducerentur. Hebræi enim Prophetæ de Christo O. M. ab omni antiquitate permulta aperte tradiderant, quæ ad firmandam religionis nostræ veritatem, ac vim mirum in modum conducunt, quidquid, præter Theodorum Mopsuestiæ Antistitem, impudenter deliraverit Episcopius, nihil veritus scribere, prædictiones, quæ de Christo in veteri Testamento feruntur, *esse dictitas allegorias, quas vi pertrahebant ad Christum Apostoli* (*c*). Erat igitur divinæ erga homines bonitatis, & beneficentiæ providere, ut veritas de Hebræorum manibus extorqueretur, atque, *ut libri, quos gens Judæa cæteris populis vel religione, vel invidia prodere nolebat credituris per Dominum gentibus .... tanto ante proderentur*, quemadmodum Augustinus animadvertit (*d*). Id autem pervetus opinio est, ab Heroicis usque ducta temporibus, LXX. doctissimorum hominum opera contigisse, qui Ptolemæi Philadelphi jussu, concessuque Eleazari summi Judæorum Pontificis in insulam Pharum convenientes sacra illa Hebræorum volumina græce interpretati sunt, superis, hominibusque plaudentibus.

6. In hanc igitur tum historiam, tum editionem studiose nos, atque ex omni parte ad inquirendum aggredimur. Novimus sane, disputationibus, & opusculis eruditissimorum virorum, Baronii in primis, Morini, Waltoni, Wowerii, Vossii, Usserii, Valesii, Simonii, du Pin, Grabii, Hodii, Calmetii, Lamy, Natalis Alexandri, Frassenii, Prideauxii, ac cæterorum eo provectam rem esse, ut perdifficile, atque operosum

(*a*) Ad Rom. cap. 15. v. 4. (*b*) Ad Galat. cap. 4. v. 5.
(*c*) In Matth. cap. 10. (*d*) August. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 22.

ſum ſit, quid probare, quid improbare debeas, prudenter ſtatuere. At iſta quidem, re adhuc integra, fuerant providenda. Nunc, quæ nos cumque tempeſtas exceptura eſt, vela nimirum facienda ſunt, navigationiſque curſus magno animo ineundus, cum præſertim indoctos videam eſſe homines, qui de hoc argumento, niſi apud nuperos Heterodoxos, nihil ſe perfectum, atque præconio dignum invenire poſſe exiſtiment.

7. De Græcæ igitur editionis hiſtoria primus omnium meminit Ariſteas in libro etiam nunc extante, quem Philocrati fratri inſcriptum dedita opera eam in rem divulgavit, græce autem, & latine Humfredus Hodius operi ſuo præpoſuit (*a*). Summa narrationis huc recidit. Ptolemæum Philadelphum, Ptolemæi Lagi filium, atque Ægypti Regem, cum magno litterarum amore flagraret, cujuſque generis libros undequaque conquiſiviſſe, uti Bibliothecam abs ſe Alexandriæ excitatam inſtrueret, Demetrii Phalerei, Græci philoſophi, atque oratoris, quem Bibliothecæ præfecerat, permotum hortatibus: quamobrem ſacros quoque Hebræorum codices ſibi curare ſtatuiſſe, ad Eleazarumque maximum Judæorum Pontificem legationem perhonorificam cum amplis, pretioſiſſimiſque muneribus adornaſſe, etiam, atque etiam flagitantem, una cum libris mitti ad ſe homines, qui Græcæ, Hebraicæque linguæ cognitione, atque ſcientia cæteris antecellerent. Rem vero quo facilius ab Eleazaro ille Ægypti Rex impetraret, Ariſteæ, Soſibii, Andreæque, magnæ in aula auctoritatis procerum, conſilio centum viginti, eoque amplius Judæorum millia in Ægypto captivorum libertate donavit, jubens, ut ex regia pecunia viginti heris drachmæ pro ſingulorum pretio afferrentur. Eleazarus, excepta, quibus par erat, honoris teſtificationibus, Ptolemæi legatione, optimatum conventu habito, LXXII. viros, ſex ex ſingulis delectos tribubus, doctrina, ſapientia, rerumque tractandarum uſu perilluſtres ad Regem miſit, qui ſecum una cum opulentis donis divinorum librorum exemplar Hebraica lingua, aureiſque deſcriptum litteris deportarent. Quamobrem Ægypti Rex humaniſſima voluptate perfuſus Senatores illos totis ſeptem diebus laute, liberaliterque tractavit. Poſtquam vero 72. quæſtionibus ethicis, politiciſque propoſitis, qua

(*a*) De Bibliorum Textibus Origin. &c.

qua quique ſapientiæ laude excellerent, probe expertus eſt, tribus talentis viritim donatos in inſulam Pharum ſeptem ſtadiis Alexandria diſtantem deduci juſſit, ubi regiis excepti ædibus duorum, & ſeptuaginta dierum ſpatio ſacra Hebræorum volumina græce, Deo auſpice, reddiderunt. Secundum hæc perlecta publice editio fuit coram Judæis, Græciſque Alexandrinis, communique omnium, qui aderant, comprobata ſuffragio. Libros religioſiſſime veneratus in regali Bibliotheca Ptolemæus repoſuit, atque ita perhonorifice dimiſſi Patres, ſplendidis præterea aucti muneribus, quæ & rerum geſtarum magnitudini, & tanti Principis liberalitati, atque potentiæ reſponderent. Hæc fere Ariſteas diligentiſſime, ut ſoleo, a me lectus.

8. Res vero de Uſſerii ſententia contigit anno ante Chriſtum natum 277. ab orbe condito 3723. anno autem, poſtquam regnum tenuerat Ptolemæus, 8. Nec profecto, ſi vera ſunt, quæ memoriæ prodidit Ariſteas, in alium annum vel citius, vel ſerius referri debet; alioquin, vivo Eleazaro, qui poſtero anno obiit, geſta non eſſet; quod tamen e regione cum Ariſteæ pugnat hiſtoria. Quoniam vero Eleazarus in epiſtola ad Ptolemæum reſcripta Arſinoem illius ſimul uxorem, ac ſororem appellat *valeas*, inquiens, *& tu, & regina Arſinoe ſoror tua*, id obeſt, quominus Græcam editionem citius adornatam putemus, ne ſcilicet fateri cogamur, eandem prodiiſſe in lucem, antequam Ptolemæus nuptias cum ſorore Arſinoe injiſſet.

9. Porro Ariſtobulus, Hebræus, ut fertur, Alexandrinus, qui annis floruit ante Chriſtum centum circiter viginti quinque, ſecundus ab Ariſtea eſt, qui hiſtoriam, de qua agitur, litteris demandarit. Creditur Ariſtobulus commentarium in Libros Moſis ſcripſiſſe, Ptolemæo Philometori, quem in optimis ſtudiis inſtituerat, nuncupatum. Etſi autem hic liber injuria temporum interciderit, ſuperſunt nihilominus nonnulla ejus fragmenta apud Clementem Alexandrinum, & Euſebium, apud quos pluribus in locis teſtatur, Ptolemæo Philadelpho regnante, integram librorum omnium, qui ad Judæorum leges pertinerent, Græcam interpretationem exiiſſe, egregiam ad id navante operam, Demetrio Phalereo. Addit autem, fuiſſe antea, etſi non ſatis elaboratam, atque perfectam, Græcam aliam librorum ejuſmodi editionem Alexan-

dro Magno æqualem, vel etiam vetustiorem, unde Pythagoras, Plato, cæterique Græciæ sapientes, atque philosophi naturalium rerum, morumque præsertim, ac legum scientiam, tamquam ex fonte, desumpserint. De quibus singulis suo loco accuratius. Hic enim more tantum historico loquimur.

10. Post Aristobulum Philo, Judæus item Alexandrinus, qui in Christi tempora incidit, claruitque, imperante Cajo Caligula, de historia Septuaginta Interpretum verba fecit libro secundo de vita Mosis, ac totius rei seriem in eandem, qua Aristeas, enarravit sententiam. Hoc differt tantummodo, quod præterea moneat, Interpretes, in apparandis editionibus suis non solum in verbis, sed in ipsis etiam apicibus mirabiliter inter se concordasse, ut iidem proinde, quemadmodum argumentatur, divino spiritu afflari, & concitari debuerint. Ad hæc subjicit, ad facti pulcherrimi perpetuandam celebritatem, atque memoriam diem festum Alexandriæ fuisse institutum, qui anniversarius vel suo tempore religiose agebatur. Quæ duo non meminerat Aristeas.

11. Josephus autem Hebræus in eximio opere de Judaicis antiquitatibus, in lucem edito exeunte primo Christiani nominis sæculo, ideſt anno 93. omnino cum Aristea convenit; similiterque Eusebius Cæsariensis Antistes, qui ducentis annis, eoque amplius ab Josephi ætate distabat. Id unum discriminis inter Josephi, & Aristeæ narrationem intercedere intelligo, quod cum Aristeas 660. talenta numeret a Ptolemæo ad redimendos captivos impensa, tamen Flavius Josephus talenta tantum 460. commemorat.

12. Jam secundum Josephum ex Christianis Patribus omnium primus, quod constet, Justinus Philosophus secundi sæculi scriptor, idemque Philone centum circiter annis posterior, de Græca LXX. Interpretum editione disseruit, rationemque, & viam, qua peracta res est, diligenter, ac minutatim explicuit. Justinus enim Alexandriam perrexerat, operamque studiose dederat, ut etiam ab incolis de tota historia certior quam accuratissime fieret. Itaque in Cohortatione ad Græcos (a) non ea solum confirmat, & probat, quæ Philo, cæterique Scriptores tradiderant, verum etiam, quod nemo hactenus scripserat, testificatur, Septuaginta Interpretes

(a) Num. 13. edit. Maur.

tes, singulos in singulis inclusos cellulis, sacras litteras ex Hebræis Græcas fecisse; se vero, ne quem fortasse dubitandi incessat suspicio, cellularum istiusmodi ruinas, atque reliquias suis plane oculis lustravisse. *Sed qui Alexandriæ*, ait, *versati sumus, & vestigia cellularum vidimus in Pharo adhuc extantia, ac rem ex incolis, qui eam a majoribus, ut patriæ suæ propriam, acceperant, audivimus, hæc vobis nuntiamus*. Equidem Maurinus editor in nota ad hunc locum apposita affirmat, Justinum non omnium primum eam de cellis historiam litteris prodidisse, sed Philonis vestigia premere; nihilominus num aliquid ejusmodi Philo tradiderit, diligentioribus, atque acutioribus constituendum relinquo.

13. Hoc certe scio, Justino reliquos assentiri Patres, qui suis postea scriptis Ecclesiam illustrarunt, Irenæum lib. 3. adver. Hæref. cap. 21. Clementem Alexandrinum priori libro Strom. Cyrillum Hierosolymitanum Cathec. 4. num. 34. Hilarium Comment. in Psal. 2. Augustinum lib. 18. de Civitate Dei, & alibi, Philastrium Brixiensem Hær. 90. Isidorum Hispalensem, Rabanum Maurum, aliosque complures, quorum longum esset recitare testimonia. Hi enim cellas illas, quas Justinus induxerat, memorant, singularumque editionum, quæ a singulis seorsim elaboratæ sunt Interpretibus, admirabilem inter se conspirationem, atque consensum testimonio confirmant suo.

14. Unus Epiphanius Salaminiorum in insula Cypro Antistes, etsi sacros, divinosque codices ab Hierosolymitanis legatis non sine occulto Dei consilio, ac singulari prodigio in Græcam linguam translatos agnoscat, in adjunctis tamen totius historiæ exponendis ab Justino, cæterisque antiquioribus Patribus dissidet. Tradit enim hic noster, non 72, sed 36. fuisse cubicula, in quibus inclusi Interpretes sacras litteras græce reddiderint, eosdem vero, præter divina volumina, apocryphos alios libros duos, & viginti Græco habitu induisse. Eam vero in rem Epiphanius testem, prædemque dat Aristeam, quod hercle egregio est argumento, Aristeanum opusculum, quo Epiphanius utebatur, aliud ab eo esse, quod nostra adhuc exstat memoria, cum testimoniisque Josephi, & Eusebii ex illo productis probe cohæret, & congruit. Taceo singularem opinionem Angeli Rocchæ, Sculteti, Sixti Senensis, Serarii, aliorumque Epiphanium inter eos numerantium, qui

 cel-

cellulas LXXII. agnoſcunt. Perſpicuis enim, dum ita ſtatuunt, Epiphanii locis (a) vim adhibent; ego autem in rebus perſpicuis confirmandis nolo operam ponere.

15. Atque hæc fere ſunt, quæ de celeberrima editione, & hiſtoria litterarum monumentis tradita invenio. Reſtat, ut noſtrum interponamus judicium, & quid veri ſimilius haberi debeat, verecunde quidem, at certe bona, candidaque fide explicemus. Sed alte ordiemur, argumentumque ordine dividentes feremus antea, quemadmodum recta differendi ratio poſtulat, de Ariſteæ libello ſententiam. Sic ergo cum pleriſque Criticis, atque Theologis exiſtimamus, Ariſteam hunc perſonatum eſſe, libellique ſui editione mirifice impoſuiſſe.

I. Principio mentiri Ariſteam, ſcribentem, ſe a Ptolemæo miſſum ad Eleazarum Demetrii Phalerei conſilio, liquido apparet. Ptolemæi enim Philadelphi tempore Demetrius Alexandria exulabat, teſte graviſſimo Hermippo apud Diogenem Laertium in vita ejuſdem Demetrii. Cum enim Athenis pulſus Demetrius ad Ptolemæum ſe Regem Alexandriam contuliſſet, quemadmodum etiam narrat Tullius lib. 5. de Finibus, illique auctor fuiſſet, ut filiis ex Euridice ſuſceptis regni hæreditatem relinqueret, Ptolemæus tamen Philadelphum, quem ex Berenice procreaverat, reliquis prætuliſſet, Philadelphus ipſe poſt patris obitum adeptus imperium Demetrium e veſtigio extorrem egit, in vinculiſque retineri juſſit, quoad aliter de illo deliberaret. Exilii tædium, atque moleſtias inique tulit Demetrius, donec aſpidis morſu miſerabiliter obiit, ut narrat ibidem ex Hermippo Laertius. Quare Ariſteæ hiſtoria cum exilio hominis non cohæret, tantnm abeſt, ut credibile ſit, Philadelphum curandæ Bibliothecæ ſuæ præfeciſſe Demetrium, quem multa molitum cognoverat, ne rerum ſumma, atque imperio potiretur. En autem Laertii locum. Hermippus tradit Demetrium, *poſt Caſſandri necem, Antigoni metu ſe ad Ptolemæum Soterem* (fuit enim hoc cognomentum Ptolemæo Lago) *contuliſſe, multumque illic temporis moratum inter cætera conſuluiſſe Regi, ut filiis, quos ex Euridice ſuſceperat, impartiretur regnum. Illo non obtemperante, ſed ei, quem ex Berenice genuerat, diadema tradente, ab hoc ipſo poſt patris mortem fuiſſe*

(a) Lib. de Menſuris, & Ponder.

fuiſſe aſſervatum in provincia , quoad aliquid de illo ſtatuiſſet. Hic ille mæſtior vixit, ac forte dormitans ab aſpide manum morſus ex vita migravit, ſepultuſque eſt in Buſiride Nomo prope Dioſpolim (*a*).

Ne vero Serarius (*b*) , Gretſerus (*c*) , Fraſſenius (*d*), Uſſerius (*e*), alii Hermippi auctoritatem abjiciant, ſciant, velim, tantam ei fidem adhibuiſſe Laertium , ut deſcriptam ab illo mortem Demetrii hoc Epigrammate celebrarit.

Occidit aſpis ſapientem noſtrum Demetrium ,
Virus habens tetri plurimum ,
Non flammam ex oculis coruſcans , ſed atros inferos (*f*).

Quin etiam conſonis aliorum teſtimoniis Hermippi auctoritas roboratur . Heraclides enim eodem apud Laertium loco *in epitome ſucceſſionum Sotionis , Ptolemæum , ait , Philadelpho concedere voluiſſe regnum , illumque probibuiſſe* conſiliis ſuis Demetrium. Quoad ejus mortem conſentit nobiſcum Cicero in oratione pro Rabirio , ubi *video* , inquit , *Demetrium & ex republica Athenienſium , quam optime digeſſerat , & ex doctrina nobilem , & clarum , qui Phalereus vocitatus eſt , in eodem iſto Ægypti regno, aſpide ad corpus admota, vita eſſe privatum* . Quibus rebus accedit vetuſti Scriptoris apud Suidam auctoritas , niſi quod Demetrii interitum ad ipſius Soteris , ſeu Lagi tempora referat. Καὶ παρὰ τῷ σωτῆρι Πτολεμαίῳ διατρίβων δηχθεὶς ὑπὸ ἀσπίδος ἀπέθανε , καὶ ἐτάφη ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νομῷ , πλησίον Διοσπόλεως τῆς ἐν τοῖς ἕλεσι . Itaque Ægidius Menagius , qui Laertium locupletiſſimis notis egregie illuſtravit, productis Hermippi verbis, argumentum noſtrum ita concludit . *Ex hoc Laertii loco evincebat Scaliger, Demetrium Phalereum curatorem Bibliothecæ Philadelphi nec fuiſſe, neque ex ejus ſuggeſtu ſacros Hebræorum libros converſos eſſe , cum ſtatim ab initio regni Philadelphi perierit . . . . Sed idem evincunt & alia argumenta .*

II. Nam certe fabulam olet perſona , quam in omni ſuo opuſculo perpetuo ſuſtinet Ariſteas. Se enim ubique hominem ſimulat & genere, & religione paganum , cui nulla

cum

(*a*) Lib. 5. de Vitis Philoſ. ſect. 78. edit. Weſtenii 1698.
(*b*) Proleg. Bibliac. cap. 17. quæſt. 5.
(*c*) Defenſio Bellarm. lib. 2. cap. 6.
(*d*) Diſquiſit. Biblic. lib. 2. cap. 3.
(*e*) Syntagm. de LXX. Interpr. cap. 1.
(*f*) Ibid. ſect. 79.

cum Judæis religionis affinitas, atque necessitudo intercedat, cum interim singulis fere paginis Hellenistam Judæum manifesto se prodat, eundemque nec veri Dei, nec legum divinarum, sanctissimarumque cæremoniarum, ac rituum imperitum. Demetrii verbis e. g. Regi significat, Judæorum leges sanctitate, & sapientia præstare cæteris, esse quippe divinas; hanc ob caussam Scriptores, Poetas, Historicos librorum ejusmodi mentionem fecisse nullam. Cujus vero, nisi Judæi hominis, esse hæc potest oratio? Potuit ne Demetrius, vir & patria, & superstione Græcus, latisque legibus apud suos clarissimus, hæc ad Regem per epistolam suam deferre? Hebraismis etiam libelli stilus, atque scribendi ratio persæpe affluit, & redundat, indicio sane locupletissimo, ab ipso pueritiæ ludo, ac disciplina inter Hebræos auctorem operis adolevisse.

III. Accedit, quod tres epistolæ Demetrii ad Regem, Regis ad maximum Judæorum Pontificem, Pontificis maximi ad Regem ita exaratæ sunt, ut nulla in stilo deprehendatur diversitas, easque nihilominus ex originali, ut vocant, se exscripsisse Aristeas confidentissime profitetur. Quis, quæso, aperte, clarissimeque non videat, fuisse libellum Aristeæ suppositum, ejusque Architectum fucum, ut dicitur, imperitis facere voluisse? Vix enim, ac ne vix quidem fieri posse crediderim, tria uti variorum auctorum opuscula in stilo, scriptionisque ratione tam amice conveniant. Quid, quod epistola, vel supplex ille Demetrii Phalerei libellus, etsi eloquentissimi, longeque elegantissimi nomen præferat oratoris, qui in omni præterea Philosophia, quemadmodum a Tullio sæpe testatum accepimus, multa cum laude excellebat, nihil tamen continet, unde ipsum Demetrium Theophrasti discipulum possis agnoscere? Recte Henricus Valesius. *Epistola illa Demetrii Phalerei, quam adducit Aristeas, plane insulsa est, & barbaris vocibus plena, cum tamen constet, Demetrium, utpote Athenienfem, eloquentissimum fuisse* (a). Sic enim de illo Cicero tum sæpe alias, tum præsertim in Oratore. In hac orationis forma, in qua suavitatis est plurimum, *multi floruerunt apud Græcos, sed Phalereus Demetrius meo judicio præstitit cæteris: cujus oratio cum sedate, pla-*

(a) Notis in Hist. Eccles. Eufeb. lib. 5. cap. 8.

placideque loquitur, tum illustrant eam, quasi stellæ quædam, translata verba, atque immutata (a).

IV. Idem Aristeas Heptastadii mentionem injecit, nempe angusti ejus itineris, sive pontis, qui ad longitudinem passuum DCCCC. jactis in mare molibus, inædificatus insulam Pharum cum Alexandriæ oppido conjungebat (b). Verum ex aliis, atque ex Ammiano Marcellino (c) didicimus, pontem ejusmodi a posterioribus Ægypti Regibus, nominatimque a Cleopatra longo post Philadelphum intervallo annorum excitatum fuisse; quod rursus, Aristeam personatum esse hominem insigni ad obtinendæ veritatis spem argumento patefacit. Nisi fortasse Aristeas alter erat Tiresias, cui Jovis concessu, ac munere datum est animo res futuras prospicere. Hæc ego anno 1754. secutus potissimum auctoritatem Valesii. Nunc autem errorem meum confiteor, cum Humfredus Hodius (d) veterum testimoniis prolixe, & luculenter ostenderit, revera Heptastadium jam inde a tempore Ptolemæi Philadelphi extitisse. Hodii argumenta exponere nihil attinet. Ipse Henricus Valesius videtur etiam sibi parum constare. In notis enim Marcellino appositis docuit, Heptastadium esse antiquius Cleopatra, non solum quia Cæsar testatur, fuisse conditum a superioribus Regibus, verum etiam quia scribit Josephus, Hebræos Interpretes per Heptastadium in Pharum venisse. Cæterum nihil egemus argumento ejusmodi ducto ex celeberrimo opere, ut Aristeæ fraudes, atque mendacia detegamus.

V. Multa enim præterea a dubio illo, commentitioque Aristea narrantur a sui temporis historia omnino aliena, Ptolemæum verbi gratia Philadelphum navali quadam pugna Antigonum profligasse, nobilemque ex illo victoriam reportasse, quod tamen nulla historiarum monumenta, nulli veterum annales commemorant. Et sane si Aristeas Antigoni nomine Antigonum Magnum, Demetrii Poliorcetis patrem intelligit, hic septemdecim annis ante delatum Philadelpho imperium e vivis excesserat; sin hujusce Demetrii filium Antigonum cognomento Gonatam, qui in Macedonia regnavit, designat, nihil est tam apertum, tamque perspicuum, ipso consentiente

(a) Num. 27. Edit. Olivet.
(b) Cæsar lib. 3. de bel. civ. cap. 35. (c) Lib. 22.
(d) De Biblior. Textibus Origin. lib. 1. cap. 19.

te Usserio (a) ; quam scriptorum neminem tam illustris, ac præclari facinoris, quod Aristeas celebrat, meminisse. Summum ubique silentium, etsi permulti, Philadelpho imperante, excellenti litteraturæ laude floruerint, ac libros in vulgus emiserint, Lycophron præsertim Chalcidensis poeta Regi persæpe solitus assentari, Callimachus poeta Cyrenæus, idemque historicus, &, quod caput est, Philadelphi ipsius Bibliothecæ, si Suidæ fides, præpositus, Zoilus Amphipolitanus Sophista, qui ad Ptolemæi pedes abjectus stipem ab eo supplex poposcit, Manethos denique, ne longum faciam, Sebennyta, Heliopolites, qui Ægyptiorum historiam græce interpretatus augusto voluit Ptolemæi Philadelphi nomine insignitam. In tanta vero Scriptorum multitudine, ac copia quis sibi serio inducat in animum, unum Aristeam potuisse commode tempus, atque opportunitatem arripere Philadelphianæ illius victoriæ litteris consecrandæ? Eodem loco, vel pretio habendum existimo, quod homo totus ex mendacio compositus sumit, Menedemum philosophum interfuisse concionibus, cum Hierosolymitani Interpretes quæstiones sibi a Ptolemæo propositas explanarunt. Etenim quantum ex auctoribus fide dignissimis colligo, ac Diogene in primis Laertio (b), Menedemus per id temporis reperiri in Ægypto non potuit, immo verisimillimum est, jam hominem e vita migrasse, qua tempestate ex Aristeæ sententia sacræ litteræ in Græciam abierunt, ut etiam Menagius in notis ad Laertium appositis vidit. Mentitur ergo inscitissime Aristeani auctor opusculi, facileque, & libenter, se illum, qui non erat, esse simulavit. Ad extremum in Demetrii ad Regem epistola mentio fit Hecatæi Abderitæ, ejusque testimonium tanquam vetusti Scriptoris adducitur. Constat tamen, Hecatæum post Alexandri Magni ætatem vixisse, ut Suidas, aliique testantur, ut autem scriptum a Flavio Josepho libro primo contra Apionem, cum Ptolemæo Lagi filio familiarissime versatum esse, ut idcirco æquales fuerint, in eademque tempora inciderint Hecatæus Abderites, Phalereusque Demetrius.

VI. Similibus fere argumentis primum permotus Ludovicus Vives Aristeæ libellum in suspicionem adduxit (c), Scaliger

(a) In Annal. ad an. Mundi 3727. (b) Lib. 2. sect. 37. & seqq.
(c) In Librum 18. de Civit. Dei cap. 43. Tom. ult. Edit. Maurin.

liger deinde, Antonius Wandalius, atque alii plurimi conjecturas, vel potius rationes adversus Aristeam longius promoverunt, donec tandem maximis studiis Humfredus Hodius, Lambertus Bos, & qui ex Hodio multum profecit, du Pin, rem certo, atque perspicue confecerunt. His autem merito magno suo adjungendus Paulus Liptomikius ex Familia Scholarum Piarum, acri ingenio, atque doctrina vir, in egregio, planeque absolutissimo opere, quod *Aristeas personatus* inscribitur. Nam quæ contra Brianus Waltonus, & Usserius, nuperrimeque Anglus quidam auctor Anonymus pro Aristea dixerunt, non magnam acutis, atque eruditis hominibus injicere debent molestiam, & partim ex superioribus, partim ex iis, quæ infra subjiciam, levi negotio diluuntur. De Aristea igitur plusquam satis.

16. Nunc ad cellas, in quibus seorsim habitantes Interpretes græcis litteris divinos codices mandavisse feruntur, recta progredior. Cellas ejusmodi Alexandriæ secundo sæculo excitatas de medio olim Hieronymus sustulit, disjecit, gravissimisque rationum, ac verborum ponderibus labefactavit, quas proinde dilapsas, & solo æquatas reficere, operosissimum duxerim. I. Nam personatus ille Aristeas, qui totius historiæ seriem omnium primus scripto consignatam reliquit, quin rei adjuncta, appendices, partes denique ullas silentio prætermittat, narrat, Senatores Judæos coram inter se omnia contulisse, unum in locum, in eandemque Basilicam congregatos. Non est autem, cur ad eos respondeam, quos memini mihi objecisse, qui Aristeam rejiciat, ex Aristea capere argumentum non posse. Est enim hominum ratiuncula Americanæ illi arbori sane simillima, quæ vix ab homine tangitur, vires illico amittit suas, & tanquam confecta senio contabescit. Philo quoque Judæus, & Josephus in suæ gentis historia, institutisque apprime versati, nihilque intentatum relinquere soliti, ut quibus posent conatibus suorum gloriæ, laudi, dignitati faverent, conclavium ne cursim quidem meminere, cum tamen, si res vero eset consentanea, mentionem ejusdem facere debuisent, perque opportunus se illis de tanto, ac tam singulari eventu dicendi locus obtulerit. Philo certe Hebræos Interpretes divino spiritu afflatos existimat, de cellis tamen ne verbum quidem. Illud, dempto etiam Cellularum commento, asumi potest,

de hoc altum ubique apud Philonem ipſum ſilentium. Mitto Ariſtobulum, ne quis redactus ad incitas eo ſe callide tutetur effugio, Ariſtobulianos commentarios intercidiſse.

II. Hæc cum ſint, non injuria Hieronymus, vir Criticæ artis ſcientiſsimus, Alexandrinas cellas adunco naſo ſuſpendit, & præfatione in Pentat. adverſus primos illarum architectos, & vindices eo præſertim nomine invehitur, quod rem neque Ariſteas, neque Joſephus cognoverant. *Neſcio quis primus auctor*, ait, *ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarint, cum Ariſteas ejuſdem Ptolemæi ὑπερασπιστὴς, & multo poſt tempore Joſephus nihil tale retulerint, ſed in una Baſilica congregatos contuliſſe ſcribant, non prophetaſſe. Aliud eſt enim vatem, aliud eſſe interpretem: ibi ſpiritus ventura prædicit, hic eruditio, & verborum copia ea, quæ intelligit, transfert*. Præfatione vero in libros Paralipom. idem, quod propoſui, hac interrogatiuncula efficit: *ſi igitur aliis licuit non tenere, quod ſemel ſuſceperant, & poſt ſeptuaginta cellulas, quæ vulgo ſine auctore jactantur, ſingulas cellulas aperuere, hocque in Eccleſiis legitur, quod Septuaginta neſcierunt, cur me non ſuſcipiant Latini mei?* Similia aliis in locis. Auctore ergo Hieronymo, gravi in primis, & nobili, ſeptuaginta ædiculæ, ſive cellæ, in quibus totidem Interpretes editionem quiſque ſuam ſigillatim abſolverint, magna cum veriſimilitudinis ſpecie inter commentitias, futileſque ſententias referendæ.

III. Idque ut ſtatuamus, ipſa etiam nos cogit hiſtoria. Nam alioquin ſeptuaginta duo exemplaria pro illorum numero tradi a ſummo Judæorum Pontifice Interpretibus debuiſſent, cum tamen in Ariſtea legamus, unicum tantum divinorum librorum exemplar aureis pictum litteris Alexandriam delatum. Neque vero Eleazarus divinare cœleſti quodam ſpiritu potuit, tale a Ptolemæo de Senatorum ingenio captum iri periculum, nec, ſi divinaſset, ei morem gerendum putaſset, ut ſcite argumentatur Capellus (a). Probe quippe Eleazarus noverat; quod eſt ex oraculo divino editum, inſignis eſſe arrogantiæ ſine neceſſitate, & cauſſa Dei tentare periclitando ſapientiam.

17. Quamvis autem Juſtinum Martyrem, eundemque Phi-

(a) Criticæ lib. 4. cap. ult.

Philosophum eo habeamus & observantiæ, & sanctitatis loco, quo is apud nos debeat esse vir, cujus jampridem consecratæ sint virtutes, & litteræ, non est, cur tamen in hac de cellis quæstione ejus auctoritate (§. 12.) magnopere moveamur. Septuaginta duos viros in totidem inclusos cubiculis, ut sacras litteras græce interpretarentur, rebus, verbis, syllabis etiam inter se concordasse, prodigium sane erat locupletissimum, quod non tantum editionem illam in excelso quodam auctoritatis loco constituit, verum etiam veteris instrumenti divinitatem ita patefacit, atque corroborat, ut nihil supra. Christiani populi ea ætate florentis, non secus atque Hebræorum, utrumque vehementer intererat, nihilque nostris accidere optatius, nihil jucundius poterat, quam quod de cellarum prodigio rumore vulgi significabatur, cum in Hebræa divina scriptura religionis nostræ præclare jacta initia sint, & fundamenta. Quandoquidem ergo Justinus apud Alexandrinos Judæos narrationem hanc vulgatam esse, multitudinisque tritam sermonibus deprehenderat, ei fidem non difficulter adhibuit, nec sibi temperare vir religionis studiosissimus potuit, quin illam opportuno tempore proferret in medium, ut Græcorum errores, & fabulas confutaret, eosdemque ab errore abductos, veritatemque condocefactos solemni Christianæ Reip. sacramento obligaret.

18. Quo vero apertissime pateat, non multum in hac controversia D. Justini sententiæ, ac testimonio fidendum esse, nonnulla ejus in re historica, & critica (invitus licet, & coactus id faciam) errata percensebo. Romæ cum versaretur Justinus statuam forte offendit Semoni Sanco Sabinorum Deo positam, quemadmodum ex priori ejus ad Antoninum Apologia accepimus, & ecce suborta statim nostro huic suspicio, fuisse statuam Simoni Mago dedicatam. Hac igitur suspicione permotus, nominumque magna ex parte similium affinitate deceptus, nec ultra rem diligentius perscrutatus in altera illico Apologia Romanos acerrime increpandos aggreditur, quasi Simonem Samaritanum, famosum scilicet impostorem, qui sacra violasset omnia, fœdissimisque se vitiis contaminasset, Deorum numero adscripsissent [3]. Ex quo facile

D 2

[3] Statua isthæc, quæ Justino se obtulit, in urbe Roma inventa est, ex locisque eruta subterraneis, Gregorio XIII. summo Pontifice, ibidemque vetus

esse colligetur Justini, hominis licet Philosophi, atque alias pereruditi, ad cellarum commentum arripiendum proclivitas. Rursus in eadem Apologia insigniter hallucinatur hic noster, cum docet, Ptolemæum legatos ad Herodem misisse divinæ legis postulatum volumina, librisque Alexandriam advectis, nova opus fuisse legatione pro Interpretibus, qui libros græce transferrent, ab Herode impetrandis. Quis enim sibi persuadeat, Ptolemæum duplici legatione usum esse, & prius de parandis libris, postea de accersendis Interpretibus cogitasse? Quotus autem quisque est tam mediocriter in histo-

vetus adhuc reperitur inscriptio „Semoni Sanco Deo Fidio sacrum „. Sancus tanquam Deus a Sabinis colebatur, cumque pactis, & fœderibus præesset, a sanciendo nomen adeptus est; unde etiam Deus Fidius, ducto a fide cognomine, vocabatur. Quin & per eum jurare soliti erant Romani; quocirca statuam in Tiberina insula posuerunt. Itaque *post observatam vetustam hanc inscriptionem Critici omnes*, ait egregius Theologus, atque in scribendo accuratissimus Bertius, *in eam conspirarunt sententiam, Justinum fuisse eadem inscriptione deceptum. Ita Dionysius Petavius in Epiphanium, Henricus Valesius in librum 2. Eusebii, Herardus in Arnobium, Blondellus de Sybillis cap. 2. ac deinceps alii omnes cum Heterodoxi, tum Catholici.* Tom. 2. Hist. Eccles. Dissert. 3. primi sæc. num. 2. Plurimi tamen ex nostris, reperta illa statua, Justini defensionem susceperunt, Cæsar Baronius (an. 44. n. 55.), Natalis Alexander (H. E. sæc. 1.), Sebastianus Tillemontius (Memoir tom. 2. pag. 35.), Honoratus a S. Maria (Animadv. in reg. Critic. Tom. 1. Dissert. 2. artic. 6. pag. mihi 196.), doctissimus ex Maurina Familia Justini editor, &, præter alios, quos enumeravit Travasa (Hist. Crit. de Vitis Hæres. Tom. 1. pag. 122.), exquisitæ eruditionis vir Petrus Lazeri (Exercit. de ver. & fals. Tradit.), copiosissimeque omnium Halloixius in ejusdem Justini vita. Hi vero, ac Bertius ipse non dubitant, quia Romani statuam unam Semoni Sanco, Simoni Mago alteram dedicarint. Quod mihi persuaderi posse pro summa mea in Patres pietate, atque observantia maxime optaverim. At, ut cætera sileam, vel ipsa inscriptionis ratio me nolentem licet, diuque repugnantem in aliam abducit, impellitque sententiam. Romanis enim plane inusitatum, ac novum cum Deorum suorum nominibus vocabulum *sancti* conjungere. Ita se omnino res habet; nec ara, nec nummus, nec lapis, nec imago, nec statua reperietur, quæ eam præferat inscriptionem, *Jovi Deo Sancto*, *Marti Deo Sancto*, *Apollini Deo Sancto*, adeoque si Romani statuam Simoni dedicassent, omissa voce *sancti*, hæc tantum verba inscripsissent, *Simoni Deo*, non illa Justini *Simoni Deo Sancto*. Hinc conjectura quidem, sed illa tamen gravissima assequimur, Justinum affinitate vocum facile lapsum esse, & ex inscriptione *Semoni Sanco Deo* expressisse aliam *Simoni Deo Sancto*. Moveor etiam ipsa loci natura, ut statuam a Justino commemoratam eandem esse existimem, atque illam, quæ, gerente Pontificatum Gregorio, detecta est. Fuit enim utraque in Tiberina insula loco inter duos pontes medio collocata.

ftoriarum monumentis verfatus, quem latere debeat, non folum Ptolemæum Philadelphum, quem defignabat Juftinus, verum etiam Ptolemæos reliquos ejus fucceffores, ac pofteros fato multo pridem perfunctos effe, quam Herodes in Judæa imperaret?

19. At enim, verbis ajentibus confirmat Juftinus, cellarum fe ruinas vidiffe. Non abnuo. Vafre tamen, & fubdole Juftino impofuerunt Ægyptii, aliquarum ei domorum, quæ vetuftate conciderant, extenfo digito monftrantes reliquias, ipfe vero feftinantius, quam debuiffet, commentitiis Judæorum fermonibus fide habita, nimis deinde præpropere confictam ab hominibus fabulam, veluti certam hiftoriam, concordique incolarum loci teftimonio comprobatam cæteris venditavit. Quam multa in dies, amabo te,

Monftrantur digito prætereuntium (a),

quæ nec teftata ullo modo funt, nec veritate fundata reperiuntur? Sunt nobiliffimi Aftronomi, qui fuam Lunæ Atmofphæram, quam vocant, tribuentes in externa Lunæ ipfius fuperficie lacus, paludes, flumina, maria deprehendunt, inermique oculo digitum ad loca aquis referta confidenter intendunt, cum tamen loca ejufmodi, vel aquæ cumuli, Caffino, aliifque judicibus, a Luna abfint quam longiffime. Quæ enim efse maria, flumina &c. perhibentur, materia funt minus candida, atque perlucida, reflectendoque lumini minus accommodata. Sed domeftica libentius in tali re, qnam externa, aut repetita ex phyficis recordabor. Ut olim Alexandrini viro fancto Juftino oftendebant in infula Pharo veneranda cellularum veftigia, ita nunc, tefte Vanslebio (b), ædes quafdam in ipfa civitate monftrant, comminifcentes extare in iis feptuaginta duo cubicula, in quibus fejuncti Interpretes, divinoque afflati fpiritu veteres Hebræorum libros græce tranftulerint. Eadem gloriæ libidine abrepti Alexandrini fabulati funt, Ariftotelem olim in urbe fua philofophiam publice docuiffe, folitique poftea fuere oftentare quædam ruinofa ædificia, tanquam totidem illius gymnafia, quæ poteris, fi vacat, in Itinerario Beniamini Tutelenfis exquirere. Hæc clariffime oftendunt, mirifice Judæos ejufmodi commentis, ac fabulis, quibus exaggerarent res fuas, & alienas

(a) Horat. lib. 3. Ode 3.
(b) In Ægypti ftatu præfenti.

nas extenuarent, delectatos fuisse. Apposite igitur dignitate, & doctrina vere eminentissimus Bellarminus: *quod Justino Judæi fabulam a se confictam persuaserint, & quasdam ruinas ostendentes cellulas esse dixerint Septuaginta Interpretum, facile fieri potuit, nec minus facile, ut Justino viro sancto fidem habuerint reliqui posteriores* (a), Irenæus in primis, Clemens Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, atque Philastrius [4]. Hieronymus tamen pro acriori, quo valebat, judi-

(a) Lib. 2. de Verbo Dei cap. 6.

4 Tertullianum tamen, Augustinum, Hilarium, Joannem Chrysostomum, aliosque, nonnullos quorum §. 13. cum historiam scriberem, nominavi, non sine caussa hic prætereundos existimo, quandoquidem Justini sententiæ suffragati non sunt. Photius illi aperte repugnat his verbis Cod. 177. *divinæ, ac veteris scripturæ, quam septuaginta simul convenientes ediderunt, interpretationem*. Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 15. de cellis loquitur, tanquam de re incerta, non cognita, & illustri. Sic enim prudenter addubitat. *Si Septuaginta, ut fertur, multique non indigni fide prædicant, singuli cellis etiam singulis separati, cum interpretati essent, nihil in alicujus eorum codice inventum est, quod non iisdem verbis, eodemque verborum ordine inveniretur in cæteris, quis huic auctoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat?* Tertullianus vero, cujus locum qua ratione Natalis Alexander, & alii pro tuendis 70. cubiculis proferant, nescio, Apologet. cap. 18. de cellis verbum non fecit, quemadmodum nec Hilarius in psal. 2. nec Chrysostomus vel homil. 4. in Gen. vel 5. in Matthæum. Immo Tertullianus, Joannesque Chrysostomus e nostra videntur stare sententia. Cum enim studiose enarrent, consectenturque prodigia, quæ occasione Græcæ editionis LXX. interpretum contigerunt, nunquam cellas, ex quibus præcipuum, vel illustrius ducebatur miraculum, silentio inobscurassent, si quidem ratas habuissent. His addere Eusebium non immerito possumus, qui lib. 8. de Præparat. Evangel. cap. 1. universam historiam ex Aristeæ libello fere ad verbum expressit, & 70. cubiculorum non meminit. Interpretes autem non alios facit, quam homines, *ἐπί τε συνέσει, καὶ τῇ πατρίῳ παιδείᾳ δεδοκιμασμένους, cum intelligentia, tum patriarum quoque litterarum scientia probatos.*

Scinditur ergo chorus studia in contraria Patrum,

nonnullis inter veteres nostram, aliis Justini caussam juvantibus. Sic olim, ut fingit Ovidius,

Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo,
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Trist. lib. 1. Eleg. 2. Quod enim Chrysostomus, aliique de summa illa nostrorum Interpretum in eandem sententiam conspiratione asseverant, ex hoc nullum omnino pro retinendis cellis argumentum peti potest. Nam fuit sane miraculorum omnium longe maximum (si quidem vera historia est), potuisse tot homines, collatione inter se inita, secum tam brevi tempore, tam mirabiliter convenire. In magna quippe doctissimorum hominum multitudine rara est judiciorum, sententiarumque de difficillimis rebus concordia.

judicio, penitiorique artis criticæ cognitione cellas momento suo æstimavit, deque illis, ut meritæ fuerant, pronunciavit incorrupte sententiam (§. 16. II.).

20. Non sum nescius, Nicolaum Nourry de eo magnopere laborasse, ut ab Justino erroris suspicionem depelleret (*a*). Sed officiunt ejus conatibus superiora argumenta (§. 16.). Novi etiam, Natalem Alexandrum, summum sane, perdoctumque Theologum id nobis objicere (*b*), fuisse Justini sententiam improbatam Hieronymo, quod hic undequaque rationes conquireret, quibus Græcæ interpretationis fidem, ac vim elevaret, editioni ut suæ ad Hebræos exactæ codices ampliorem auctoritatem adjungeret. Pace tamen viri acutissimi dixerim, id Natalis de Hieronymo non satis neque honorifice, neque verisimiliter suspicatur. Quasi vero homo doctissimus, &, quod caput est, vitæ instituto, moribusque sanctissimus ob impotentem quendam erga se, lucubrationesque suas amorem alienæ laudi, ac gloriæ invidisset. Profecto veritatis cancellos non videtur Hieronymus egredi, dum græcos Septuaginta Interpretum codices in eodem cum fonte Hebraico dignitatis gradu collocandos non esse pronunciat, & peculiari divinæ mentis instinctu, afflatuque conscriptos diffitetur. Neque enim deerant caussæ & gravissimæ, & maximæ, quæ Hieronymum, cur ita statueret, permoverent. Deinde virum summum de Græca editione præclara fecisse judicia, nec illam, ut rebus suis prospiceret, plus æquo deprimere, in contemptumque adducere voluisse, conficitur ex iis, quæ tradidit tum comment. in cap. 18. Isaiæ, tum lib. 2. Apologiæ adversus Ruffinum in hæc verba. *Ego ne contra Septuaginta Interpretes aliquid sum locutus, quos ante annos plurimos diligentissime emendatos meæ linguæ studiosis dedi; quos quotidie in conventu Fratrum edissero, quorum psalmos jugi meditatione decanto? Audi igitur, æmule*, perorat alio loco Hieronymus (*c*), *audi igitur æmule, obtrectator ausculta, non damno, non reprehendo Septuaginta, sed confidenter cunctis illis Apostolos præfero*.

21. Nihil ergo hæsitantes malumus Hieronymi, quam Justini de cellis approbare sententiam, ea etiam ducti Critices

(*a*) Appar. ad Bibliot. Max. Pat. Tom. 2. Differt. 2.
(*b*) Hist. Eccles. secundi sæc. Differt. 11. quæst. 2.
(*c*) Præfat. in Pentat.

tices regula præclare a Launojo, Tillemontio, Mabillonio constituta, non esse accipiendam historiam, quæ ab auctoribus ejusdem, aut ferme ejusdem temporis non confirmetur. Ac Baronio ipsi certum, ac deliberatum illud est ad fabulas ex historia amandandas, *ut quod a recentiori auctore profertur, contemnatur.* Quanto sit autem Justinus ætate inferior Aristea, nosti. Si quis tamen cum Barbeyraco (*a*) propter leviores illos, quos dixi, errores vellet efficere, omnem Justini auctoritatem concidere, cum de aliis rebus religionem attingentibus agitur, næ is vehementer erraret. Certe quoties hæreses prodiere, magnum semper veritatis præsidium, magnam ad tuendam religionem vim in antiquis Patribus positam esse existimatum est, nec eorum testimonio pondus detraxit, si quid aliis in rebus aut minus acute vidisent, aut minus accurate ex historiæ legibus explicasent. Ita passim se gessisse Athanasium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, &. alios notius est, quam ut orationem meam, aut cujusquam eloquentiam desideret. Sed Barbeyracum dimittam. Satis enim exquisite Prudentius Maranus refellit (*b*).

22. Venio ad Epiphanium, qui licet in cubiculorum constituendo numero ab Justino diffideat, cubicula illa tamen, seu cellas suo aperte suffragio comprobavit (§. 14.). Constat ergo, Epiphanio alium ad manus fuisse Aristeam, quam qui Josepho, Eusebio, cæteris (ibid.), quemadmodum etiam sententiam tulit Calmetius (*c*). Sic autem mihi, opinione saltem, persuadeo, Christianum aliquem Scriptorem, Justino jam mortuo, in unum veluti historiæ corpus collegisse, quidquid super LXX. Interpretibus aliorum vel libris, vel sermonibus vulgo creditum intellexerat, Aristeæ vero insistentem vestigiis novum, atque idem tamen dissimile, confecisse opusculum, ex quo deinde Antistes Salaminius narrationem suam expresserit. Hoc omnino compertum est, Epiphanianum Aristeam multis post annis, quam Aristeas ille vulgaris conscriptus fuerat, prodiisse. Posterioris enim epistolæ initium, quam Ptolemæus ad Eleazarum dederat, laudatque Epiphanius, ab hac sententia dicitur, *thesaurus*

(*a*) Lib. de doct. mor. Pat. Ecclef. cap. 2.
(*b*) Præfat. in Opera Just. par. 2. cap. 13.
(*c*) Differt. de verf. 70. Interpr.

saurus invisus, & fons occlusus, quæ utilitas in utrisque? Eam vero sententiam oculis fere ipsis cernimus ex Ecclesiastici libro (a) depromptam esse. At hunc librum annis centum, & quindecim post Philadelphi mortem, regnante, ut nos credimus, Ptolemæo Evergete juniore, Jesus Sirachides in Ægypto divulgavit. Crediderim præterea, Aristeæ libellum, quo usus est Epiphanius, non ante Justini mortem conscribi potuisse, cum cellarum meminerit, quas omnium primus Justinus scriptis suis Alexandriam induxit. Verisimiliter igitur Antistes ille omnem de cellis historiam vel ex recentiori isto Aristea, vel ex Justino Philosopho arripuit, tametsi qua demum caussa numerum imminuerit, exputare satis non possum; nec proinde Epiphanii auctoritas hisce fulta fundamentis tanti est, quæ cellas possit a ruina, & interitu vindicare. Quid enim prolixius hic attinet dicere, quam in reliquis historiæ partibus secum parum cohæreant Justinus, & Epiphanius, quam pugnent autem gravissime cum Aristea, cæterisque de eodem argumento scriptoribus? Ad rem deprehendendam sufficiet Epiphanianum de Mensuris, & Ponderibus librum percurrere.

23. Ergo non sine judicii, atque prudentiæ laude Calmetius *tanta*, inquit, *sententiarum, rerumque inter Aristeam, S. Epiphanium, S. Justinum varietas argumento est apertissimo, non circumstantias tantum, sed & historiam ipsam fidei esse sublestæ* (b). Qua de re antequam ingredior ad explicandam rationem sententiæ meæ, operæ pretium erit partim necessitatis, partim ordinis, partim detestandæ invidiæ caussa nonnulla præponere. Ego enim sic natus, institutusque sum, ut malim quodammodo, si fieri quidem, optarique id posset, errare cum Patribus, quam cum aliis vera sentire, opiniones vero, quas accepi a Majoribus, etsi nihil ad religionem spectantes, ita defendam, ac tuear, vix uti ex illis, cum esse dubias, incertasque reperio, doctissimorum hominum movere me possit oratio. Quod an ex animi sententia dicam, aliæ Dissertationes nostræ, in quibus religionis capita aguntur, clarissime docent.

24. Principio igitur liquet, sæpe, ac varie sapientissimos viros in re historica deceptos fuisse, etiam cum de argumentis gravissimis tractaretur, magno cum plausu errores

 ejus-

(a) Cap. 20. ver. 32. & cap. 41. ver. 17. (b) Ibidem.

ejusmodi, ac diuturno tempore permansisse, quæque omnibus perspecta, & cognita videbantur, demonstratum postea, vel deprehensum, esse hæc a veritate, immo ab omni quoque veri similitudine aliena. Pleni sunt exemplorum libri. I. Ut ecce, deleto Sardanapali morte veterum Assyriorum imperio, tria alia imperia inde extitisse, alterum novorum Assyriorum a Nino juniori conditum, alterum Babyloniorum a Belesio, seu Nabonassare, tertium denique Medorum ab Arbace, qui Medis ipsis præfuerat, adeo certum Usserius, nobilioresque Chronologi duxerant, ut rem prope manu sibi tentare viderentur. Verumtamen Humfredus Prideauxius in Judæorum historia dilucide demonstravit (*a*), hallucinatos esse Chronologos, ostenditque, duo tantum prodiisse imperia, Babyloniorum, & Assyriorum; eundem porro esse Tiglat-Pileser, Thilgat-Pilneser, & Arbacem, adeoque tertium illud Medorum imperium ab his sejunctum in somniorum numero reponendum, Asyrios quippe, teste quoque Diodoro Siculo, etiam Medis imperasse. II. Parthorum Epochæ initium hactenus scriptores ad unum omnes in annum urbis conditæ 498. vel 504. conjecerant. Ita Vaillantius, Petavius, aliique sexcenti. Magnus tamen vir Eduardus Corsinus, certioribus monumentis productis, accuratissimeque illustratis (*b*), perspicue effecit, ad annum circiter 525. ejus Epochæ initium differri oportere. III. Similiter in Pontificia historia nihil permultis sæculis testatius visum est, quam Marcellinum Pontificem Maximum Idolis litavisse, postea vero cum admissi sceleris pœniteret, ad Sinvessana se contulisse Comitia errati veniam impetraturum, Patres autem in hæc verba erupisse, *prima Sedes non judicabitur a quoquam*. Nihilominus quantum fidei huic historiæ tribuendum sit, norunt etiam, qui Annales sacros vel primoribus labris attigerunt. IV. Liberium item Romanum Pontificem primæ Sirmiensi formulæ subscripsisse, in Athanasium tulisse sententiam, sacrorum denique communionem cum pestifera illa Arianorum colluvie iniisse, quis sibi non omnibus anteactis ætatibus persuaserat? Quanto autem studio Liberii peccatum exaggeraverat Bossuetius (*c*)? Crimina tamen ejusmodi puras, putasque esse Arianorum

(*a*) Lib. 1. pag. 1. — 18. edit. Venetæ. (*b*) Dissertat. de Minnissaro Libur. 1754. & Dissert. in qua dubia a Froelich. proposita diluuntur Romæ 1757.

(*c*) Defens. Cleri Gallic. par. 2. lib. 14. cap. 35.

norum calumnias, acutiſſime tandem vidit vir eruditiſſimus, idemque Sveſſionenſis Canonicus, Corgne (*a*), cujus paullo poſt ſententiam egregie Urſius illuſtravit (*b*). V. Ego vero non ſolum Liberium, ſed etiam Oſium Cordubenſem Antiſtitem, reclamantibus licet hiſtoricis, omnibuſque Theologis, ab omni impietatis labe purgandum, atque tuendum exiſtimo. Video, id improbatum iri doctiſſimo ſane homini Hieronymo de Pratis (*c*); de Oſii tamen innocentia, perpetuaque in ſuſcepta religione conſtantia, multa ego in adverſariis, quæ Hiſpani ſaltem, ſi emittemus in lucem, æquo animo accipient.

Miſſum facio bellum Trojanum, ne cui fortaſſe videar intemperanter abuti otio, & litteris. Etſi enim nullæ fortaſſe ab omni antiquitatis memoria res geſtæ ſint tanta teſtimoniorum ubertate, & copia, quanta bellum ad Trojam habitum confirmatæ; litem tamen ea ſuper re intenderunt ſcriptoribus Dio Chryſoſtomus in oratione ὑπὲρ τοῦ Ἴλιον μὴ ἁλῶναι, tum Metrodorus Lampſacenus (*d*), atque ex recentioribus Criticis Chriſtianus Adamus, Croeſius, Struvius, nuperrimeque Joannes Baptiſta Vicus. Primum igitur, quod mihi propoſitum erat ſtatuere, ſatis confirmatum eſt.

25. Alterum ordine moneo, hiſtoriam de LXX. Interpretibus, qualem Ariſteas, & qui pone illum ſequuti ſunt, memoriæ prodidere (§. 7. 9—14.), Auctoribus Pontificiis & numero pluribus, & auctoritate graviſſimis, & religionis, probitatiſque laude integerrimis ad palatum non ſapere. Non ſum hoc loco commemoraturus Ægidium Menagium, multoque minus Richardum Simonium (*e*), quem ego alias pro virili parte oppugnavi, plurimi vero de intemperantiori Critice forte poſtularent. At certe totius hiſtoriæ ſummam partim negarunt, partim in dubium revocarunt Auguſtinus Calmetius (*f*), Antonius Pagius (*g*), du Pin (*h*), Bernardus Lamy (*i*), Renatus Maſsuetus (*k*), Conſtantinus Roncaglia (*l*), Anto-

(*a*) Diſſert. Crit. ſur le Pape Libere. Pariſ. 1732. (*b*) Hiſt. Eccleſ. ad ann. 357. num. 72. (*c*) Vid. Notas in Hiſt. Sacr. Severi.
(*d*) Apud Tatian. in orat. ad Græc. (*e*) Hiſt. Crit. Vet. Teſtam. lib. 2. cap. 2. (*f*) Loc. cit. (*g*) Crit. in Bar. ad ann. 182. num. 4. (*h*) Diſſert. Prelimin. ſur la Bib. chap. 6.
(*i*) Appar. Biblic. lib. 2. cap. 10. (*k*) Not. in Iren. lib. 3. cap. 21.
(*l*) Ad Natal. Alex. Hiſt. Eccleſ. 2. ſæc. Diſſert. 11. §. unico.

Antonius Genuensis (*a*), Erasmus Gesualdus (*b*), alii, quorum longum esset annumerare sententias. Sed placet huc verba transferre viri multo eruditissimi, quocum pervetus necessitudo mihi intercedit, Aloysii Antonii Verneii, deprompta ex perpolito de Re Metaphysica opere, quod Romæ annis abhinc quatuor in manus hominum emissum est. *Historiam*, inquit, *LXX. Interpretum, quam a Pseudo-Aristea, & Pseudo-Aristobulo veteres hauserunt, omnia falsitatis signa præ se ferre, doctissimi aliqui recentiores luculentissime demonstrarunt. Nec aliquid amplius ex veterum testimonio efficitur, quam Ptolemæi Philadelphi tempore factam esse versionem Græcam legis, cui postea sub aliis Ptolemæis versionem additam reliquorum librorum* (*c*). Hæc eleganter Vernejus.

26. I. Dubitari autem non potest, quod a viro Cl. indicatum est, atque a nobis tertio denique loco constituendum, dubitari, inquam, non potest, Ptolemæis in Ægypto imperantibus, aliquam sacræ Hebræorum scripturæ Græcam editionem adornatam fuisse. Nam & heroicis, Apostolicisque illis temporibus Græca isthæc editio, a LXX. nominata Interpretibus, reapse obtinebat, quin erat in Christiana Republica pervagatissima, & ipsi præterea Apostoli, Patresque antiquissimi ab Apostolorum ætate proximi veteris exinde fœderis testimonia in scriptionibus passim suis citarunt. Cui argumento & illud accedit, quod probabile nullo modo est, Hellenistas Judæos in Ægypto commorantes, eosdemque maximam partem nec hebraice, neque chaldaice doctos nulla habuisse divinorum librorum græce reddita exemplaria, quibus privatim, in publicisque præsertim conventibus uterentur. Aliter ego certe ex Ecclesiastici Prologo rationes subduco. Ibi enim, quod plurimi non perspexerunt, mentio fit interpretationis Græcæ Hebræorum voluminum. En totum locum. *Hortor itaque venire vos cum benevolentia, & attentiori studio lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videmur, sequentes imaginem sapientiæ, deficere in verborum compositione. Nam deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam. Non autem solum hæc, sed & ipsa lex, & prophetæ, cæteraque aliorum libro-*

(*a*) Element. Metaph. par. 3. Schol. 1. ad propos. 37.
(*b*) Osservaz. Critic. sopra la Stor. della Via Appia.
(*c*) Lib. 3. cap. 7. in Not.

librorum non parvam habent differentiam , quando inter se dicuntur. Teste igitur Ecclesiastici Interprete, sacri Hebræorum libri in Græcam linguam translati fuerant, imperante, cujus ætate ille floruit (§. 22.), Ptolemæo II. Evergete. Est autem in promptu germana, quæque una maxime veritati nititur, caussa, quæ Græcam illam, Ptolemæis Regibus, interpretationem induxit.

II. Alexander, urbe, quam a suo appellaverat nomine, in Ægypto exædificata, & postea Ptolemæus Soter ingentem Hebræorum vim, multitudinemque Alexandriam acciverant, ut sedem hic, & domicilium collocarent, Soterque, ut docet Josephus (*a*), easdem Hebræis immunitates liberaliter fecerat, quibus Græci æque, ac Macedones utebantur. Major Hebræi, nedum magna Alexandriæ pars, Græcam linguam addiscere necessitate coacti sunt, atque ob perpetuum cum Græca hominum natione commercium, græce præterea loqui. Exinde factum est, ut, quod antea eorum Majoribus in Chaldæa contigerat, avitum loquendi morem dediscerent, Græcis paullatim sermoni, & linguæ assuefacti. Tanta est scilicet in utramque partem consuetudinis vis. Itaque procedente sensim tempore cum Alexandrini Judæi nec hebraice scirent, nec vero chaldaice, sponte ipsi sua sacros codices græce interpretati sunt, Græcisque hisce codicibus tum Alexandriæ, tum in omni Ægypto vulgo uti & publice, & privati cœpere. Hinc vero mos pedetentim invaluit, ut a Græca, quam usurpabant, & lingua, & lectione peculiari Hellenistarum nomine vocarenrur, cum cæteri, qui in sacris conventibus linguas Hebraicam, & Chaldaicam adhibebant, Judæorum Hebræorum nomen retinerent. Cujus distinctionis in Apostolorum Actis initio capitis sexti luculentum habes indicium. Atque ab his quidem initiis Græca demum nata, atque profecta editio est, cui postea bonus ille Aristeas libello suo fidem ut facilius, illustrioremque auctoritatem conciliaret, speciosum, ac splendidum LXXII. Interpretum cognomentum fidenter attribuit.

Principio sola Mosaica lex Græcis litteris tradita, quod sola lex, unus scilicet Pentateuchus jam inde ab Esdræ memoria in sacris Hebræorum conventibus per festos dies legeretur, quemadmodum infra docebitur. Ubi autem, Rege An-

(*a*) Lib. 2. cont. Apion. & alibi.

Antiocho Epiphane, Prophetarum libros publice in Judæa legendi consuetudo recepta est, Hebræi Alexandrini in religionis cæremoniis ad Palæstinorum usus, consuetudinesque accommodare res suas soliti, divinos quoque vates interpretati græce sunt, donec tandem aliqui de privatis Hebræis reliquos libros Græco sermone in usus populares, atque domesticos illustrarunt, atque ita editio, quæ LXX. Interpretum dicitur, aliquando tandem absoluta. Hæc fere nos de celebratissima illa editione, & quidem non sine caussa, statuimus, ac sentimus.

27. Nam quod Aristeas, cæterique Scriptores testificantur, LXXII. Hebræos Interpretes jussu Ptolemæi Philadelphi, Demetrii Phalerei consiliis, consensuque Eleazari summi Judæorum Pontificis sacras litteras in insula Pharo græce reddidisse, historiam hanc esse cum viris eruditissimis ducimus §. 25.) falsitatis vehementer suspectam, quæque apud attentum, atque ad Criticæ disciplinæ leges bene informatum Theologum reperire fidem non potest. I. Etenim cum Aristeas personatus scripserit, verba sæpissime dederit, ejusque libellus totus mendaciis, & erroribus scateat (§.15.), posteri autem Scriptores, maximam saltem partem, Aristeæ testimonio, aut futilibus Judæorum narrationibus, veluti fundamento, innitantur, perspicue statim efficitur, universam id genus historiam in commentis ponendam esse. Sed ne pressius dixisse videar, & ne quis forte respondeat, tametsi Aristeæ liber apocryphus, suppositusque haberi debeat, non continuo tamen rejici, atque repudiari posse, quam narrat, historiam, ipsam hic controversiæ summam, rerumque gestarum veritatem, ac seriem particulatim expendemus. Etenim quamvis argumentum, qua ratione a nobis conclusum est, gravissimum censeamus, juvat tamen liberaliter agere, & adversariis indulgere.

II. Majores nostri LXX. Interpretum editionem religioni Ptolemæi Philadelphi, ejusque in divinam legem pietati, ac studio, tanquam caussæ, non verentur adscribere. Ptolemæum idcirco Principem fuisse perhibent maximarum, plurimarumque virtutum laude cumulatum. Nec minus præclara de Demetrio regiæ Bibliothecæ præfecto judicia faciunt, quem præterea, quod divinos Hebræorum libros etiam, atque etiam Philadelpho commendaverit, suis ornant sententiis,

tiis, ultro mandantes memoriæ laborum, operæque ejus præconium. Profani tamen Scriptores, qui penitius par illud hominum nobilissimum introspicere potuerunt, Ptolemæum in primis omni scelerum fœditate inquinatum describunt, impurum, intemperantem, crudelem, duorum fratrum interfectorem, libidinibus mire deditum, cui, cum satis non essent concubinæ permultæ, turpe visum non fuerit sororem quoque in matrimonium ducere, quam vita deinde functam referre inter cœlites cum uxore Berenice studuerat. De nuptiis initis cum sorore Arsinoe, Philadelphus a Sotade etiam libere reprehensus. De Diis autem tradunt, ab eo Serapidem impotenter cultam esse. Constant hæc ex Pausania lib. 1. ex Athenæo Dipnos. lib. 13. ac Plinio lib. 34. cap. 14. Quid vero de Demetrio Phalereo? Scilicet Demetrium nobis exhibent, veluti hominem crapulæ appetentissimum, insigniter prodigum, omnibus cupiditatum illecebris irretitum, amoribus implicitum obscœnissimis, facie pariter, coma, unguentis delibutum, fucatum pigmentis, calamistratum, ore, vultu, totiusque corporis habitu muliebre nescio quid præ se turpiter ferentem ne, an olentem? Addunt, eo etiam tempore Demetrium & libidinose & scelestе vixisse, cum Atheniensis custos, gubernatorque reipublicæ gravissimis in reos pœnis animadvertebat (a). Quæ cum sint, quis amabo, sibi facile persuaserit, Philadelphum, ac Demetrium de Hebraicis voluminibus græce transferendis cogitasse? Cum præsertim odiosissima illis deberet esse lex, quæ tam fœda vitia, ac scelera, tam contaminatamque superstitionem conceptis verbis impietatis damnaret.

At Deus hanc mentem hominibus, & voluntatem injecit. Qui vero id probes? Est hoc enim necessitatis caussa divinare, non argumenta refellere. Exempla deinde ex sacris petita litteris omnem ei conjecturæ locum præcludunt. Nam quod David multum sanguinis effudisset in præliis, noluit Deus, ut sibi templum construeret.

III. Fac tamen, deliberatum fuisse Ptolemæo, atque Demetrio, ut sacri Hebræorum libri græce verterentur. Vacillat adhuc historia. Nihil enim aliud Regi in mentem venisset, nisi ut alicui, vel pluribus Judæis Alexandriæ commo-

(a) Athen. Lib. 12. Dipnosop.

morantibus provinciam daret. Siquidem eſt plane incredibile, Hieroſolymas Regem miſiſse, ut divinorum librorum exemplar, atque Interpretes poſtularet. Quaſi vero apud tot Judæorum millia, qui tunc temporis Alexandriæ habitabant (§.26.II.), nullum eſset exemplar, nulli, qui libros interpretari græce poſsent. Nonne illud ridiculum, quod ab Ariſtea traditur, affirmante Demetrio, *Judæorum leges dignas eſse, quæ deſcribantur, & in Bibliotheca reponantur, ſed interpretatione indigere*, reſpondiſse Regem, ſcripturum ſe ad Judæorum Pontificem, ut legis exemplar, ut Interpretes ab eo obtineret? Atqui ignorare non poterat, in urbe ſua Alexandria ingentem florere Judæorum multitudinem. Qui ergo ſumere potuit quaſi pro conceſso, & probato, nullum eſse apud illos divinorum exemplum voluminum, neminem porro, qui græce, & hebraice ſciret? Non eſt igitur ſimile vero, Ptolemæum Regem & ſacros libros, & eorum Interpretes Hieroſolymis acciviſse.

IV. Ac certe id operis, de quo diſserimus, ab Alexandrinis, non ab Hieroſolymitanis Judæis ſuſceptum eſse, ex Alexandrinis loquendi formulis colligo, quibus paſsim editionem illam referſerunt Interpretes. Hebraica pondera ritu exprimunt Alexandrino didrachmum vocantes, quod Joſephus, atque Evangeliorum auctores tetradrachmum dixere; id vero ea ſane de cauſsa, quia drachma Alexandrina duplo pondere Græcæ præſtabat. At Aquila Interpres, qui Alexandrinus non erat, ſiclum Hebraicum non didrachmum reddidit, ſed tetradrachmum. Quo de argumento copioſius Bernardus Lamy (*a*). Menſuram Epaph noſtri illi in Levitico, in Numeris, in Ruth non exponunt more Hebræorum, ſed ſcribunt οἰφὶ, ut vocem ſcilicet pronunciabant Ægyptii. Hinc Hieronymus: *menſuræ, quæ apud Hebræos dicitur* Epaph, *crebroque a LXX.* οἰφι *vertitur* (*b*), verbum, teſte Heſychio, Ægyptiis uſitatum. Vocem Thummim, quæ Hebræis *perfectionem* ſignificat, in toto Pentateucho *veritatem*, ideſt ἀλήθειαν reddidere. Cauſsam, ſi quæris, in promptu eſt. *Judices apud Ægyptios*, ait Ælianus (*c*), *quondam erant Sacerdotes. In his princeps erat maximus natu, & in omnes ſtatuendi jus habebat .... Circa collum autem imaginem*

(*a*) De Tabern. Fœder., ubi de pond. & menſ.
(*b*) Comment. in Zachar. cap. 5. (*c*) Lib. 1.

ginem ex sapphiro gemma confectam gestabat, quæ vocabatur veritas, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα Ἀλήθεια. Clarius Diodorus. *Gestabat is*, qui judiciis præerat, *in collo ex aurea catena dependens e lapillis pretiosissimis simulacrum*, ὃ προσηγόρευον Ἀλήθειαν, *quod vocabant veritatem*. Habes igitur ad petitionem. Vides enim ex his testimoniis, Thummim maximi Judæorum Pontificis plurimum convenire cum imagine illa, quæ a supremi Judicis collo dependens veritatis apud Ægyptios nomen acceperat, atque adeo Interpretes maluisse Hebræorum *Thummim* veritatem, quam perfectionem appellare. Ex quo perspicuum est, illos & fuisse Ægyptios potius, quam Palestinos, & Ægyptiorum mores, ac ritus penitus pernovisse. Ex Ægypto etiam arcessendum Isaiæ interpretem facile intelligitur ex versu 10. capitis 5. ubi mentio artabæ; quæ res genus mensuræ fuit familiaris apud Ægyptios, a quibus ad Alexandrinos in vitæ usus communes commeavit. Sic igitur fons Hebraicus: *& sementis chomer faciet Ephad*: Latina editio, *triginta modii sementis facient modios tres*; Græca autem, καὶ ὁ σπείρων ἀρτάβας ἕξ, ποιήσει μέτρα τρία. Fuisse vero artabam non Græcam, sed Ægyptiacam, vel Alexandrinam mensuram, testantur complures. Hieronymus enim in hunc locum, *qui hebraice dicitur chomer, LXX. verterunt* ἀρτάβας ἕξ, *quæ mensura Ægyptiaca est, & facit modios viginti*. Eucherius Lugdunensis Antistes: *artabæ in Isaia Ægyptiorum mensuræ* (a). In eandemque sententiam loquutos video Aristophanis Scholiastem, Suidam, Q. Rhemnium Palæmonem, Memnonem Heracleotem, Polybium. Quæ vox Jobi cap. 8. v. 11. juncum generatim significat, interpres, tanquam Ægyptius, papyrum reddidit, quia planta Ægyptiis papyrus notissima, similiterque Isaiæ cap. 19. Hinc Hieronymus: *pro junco papyrum LXX. transtulerunt, de quo charta fit*. Certum est autem, papyri vocem esse Ægyptiacam, quemadmodum ipsam plantam Ægyptiis pene peculiarem, & propriam. Nam Ovidius:

Perque papyriferi septemflua flumina Nilus (b),

post Ovidiumque Lucanus,

. . . . *cum tenet omnia Nilus*,
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro (c).

F Præ-

(a) Nom. Hebr. interp.
(b) Lib. 12. Metamorph. (c) Lib. 4.

Præsto est tandem, ne longiores simus, generale argumentum, quod nobis opportune suppeditat Græcum Lexicon anno 1532. Lutetiæ in lucem editum a Michaele Vascosano, cujus illa inscriptio, *Τῶν ὀνομάτων Ἀττικῶν συλλογή*. In eo Lexico hæc verba reperiuntur: *τὸ καθὰ οἱ Ἀττικοὶ χρῶνται, τὸ δὲ καθὼς οὐδέποτε, ἀλλ' ἡ τῶν Ἀλεξανδρέων διάλεκτος, καθ' ἣν ἡ θεῖα γραφὴ γέγραπται. Attici dicunt καθὰ, nunquam καθώς. Hoc vero est dialecti Alexandrinorum, qua scripta est divina Scriptura*. Divinorum ergo librorum Interpretes Alexandrinos fuisse, non, jubente Ptolemæo, ac suffragante Eleazaro, venisse Hierosolymis, ipsa per se loquitur res nullius oratione, nec artificiis illustrata.

V. Duo infra tanquam in loco ostendemus, Septuaginta, quos appellant, Interpretes non omnes Hebræorum libros, sed tantum Mosaicos græce vertisse (§. 38.), Græcam vero illam interpretationem, postquam elaborata est, plane ignotam Gentilibus, diu in latebris cæcisque tenebris penitus latuisse (§. 43.). Utrumque autem argumento est apertissimo, interpretationem ejusmodi non jussu, & auspiciis Ptolemæi Regis, non hortatibus, & cura Demetrii, sed sponte a Judæis suorum commodis, atque utilitatibus esse adornatam. Profecto si Regis, si Demetrii desiderio editio deberetur, satis firmam reddere rationem non posses, cur illi Mosaicos tantum, non cæteros etiam libros Græcis litteris explicari voluerint. Si sponte Judæi opus susceperunt, nihil mirum, quod solum Pentateuchum ex hebræo in græcum converterint, cum moris esset per eos dies, ne quid præter legem in publicis Hebræorum conventibus legeretur; id vero maxime omnium admiratione dignissimum, homines gentiles, atque adeo, ut fertur, curiosos, & cupidos cognoscendi res, doctrinam, & cæremonias Hebræi populi, de solis Mosaicis libris, non de aliis quoque fuisse sollicitos. Atqui talia narrantur in Psalmis, in Prophetarum voluminibus, in reliquis, quæ indoctorum etiam hominum studia excitent, & curiositatem alliciant. Sed concedatur rursus, in mentem Demetrio, Ptolemæoque venisse, divini ut libri græce transferrentur, atque in Bibliothecam Alexandrinam abderentur. Quis unquam tantas res tanto apparatu susceptas, tot laboribus, tanta celebritate, tanta magnificentia confectas ignorasset? De his tamen silentium est consentiens auctorum

omnium,

omnium, qui de Philadelpho, aut Demetrio mentionem fecerunt. Nemo paullo eruditior ex profanis hominibus, atque ſcriptoribus neſcire potuiſſet libros illos, qui tantorum virorum ſtudiis maximam eſſent celebritatem adepti, nemo potuiſſet negligere. Si forte quæris, unde hoc conſtet, ſacros codices longo apud Ethnicos intervallo temporis prorſus ignotos, & neglectos fuiſſe, de hoc, ut dixi, infra videbimus.

VI. Nunc velim, rationes diligenter putemus, & quantam pecuniæ vim in eam, quam quærimus, editionem Ptolemæus Philadelphus profuderit, inquiramus. Erit ſic facilius de tota hiſtoria conſtituere. Captivos, teſte Ariſtea, in libertatem vindicat, numeratis talentis 660. amplius, Hieroſolymitano templo muneri vaſa mittit argentea, quæ talentis 70. æſtimantur, aurea vaſa magnifice, & pretioſe cælata, quæ 50., gemmas fulgidiſſimas ad illuminanda vaſa, quæ 250., in ſacrificia vero, atque in alios templi uſus talenta 100. impendit. Sumptuum nondum hic finis. Vix enim LXXII. Hebræorum ſapientes Alexandriam perveniunt, cum ecce ſenes ſpectatiſſimos 3. viritim, ideſt 216. talentis conjunctim remuneratur, abeuntes autem rurſus 2. viritim talentis aureis, aureo item poculo, quod 1. talento penditur, tum alia ſupellectile liberaliter donat. Quæ pecuniæ vis ſi in ſummam redigatur, prodibunt talenta argentea 1046., aurea 516., libræ vero Sterlingæ Anglicanæ 1918537 $\frac{8}{16}$, nimirum Scellini præterea 10. His adde viaticum, ſumptuoſa adde munera miſſa Eleazaro, adde cibaria denique Alexandriæ Interpretibus laute, ac ſplendide præbita, deprehendeſque, Ptolemæum Regem lib. Sterling. 2000000. plus impendiſſe, quæ Romano putatæ more argenteorum nummorum milliones pluſquam octo conficiunt [5]. Hæc autem

 pe-

5 Superiorem autem calculum, ſi lubet, perſpicuitatis gratia ſic inibis. Cum proportio aurum inter, argentumque hodie apud Anglos recepta (Vid. Prid. Præfat. in Hiſtor. Judæor.) ſit 16 : 1, talentum aureum 16. putari debet argenteis. Jube igitur, talenta argentea abire in aurea uſus diviſore 16; prodeunt talenta aurea 65 $\frac{6}{16}$, quæ addita aliis talentis aureis 516, efficiuntur 581 $\frac{6}{16}$. Porro aureum talentum ſecundum rationes a D. Bernard ſubductas Sterlingis libris conſtat 3300. Quare talentis in libras ductis, reperies tandem, eſſe factum lib. Sterling 1918537 $\frac{8}{16}$, quod inquiri oportebat. Cæterum Atticum hoc loco talentum accepimus; ſi vero ad urbem, ubi

pecuniarum pro illa in primis ætate cum immenſa ſit vis, non hercle crediderim, Ptolemæum, etſi opulentiſſimum hominem, tantos in unum librum ſumptus facere voluiſſe, cujus alioquin neque ipſe Rex, neque regni proceres, & optimates, quamdiu Paganiſmum profitebantur, magnam habituri eſſent rationem: adeoque hoc etiam nomine hiſtoria LXX. Interpretum longe incertiſſima videri debet. Erravit autem magnopere Lightfootus (*a*), cum inito calculo ait, Ptolemæi ſumptus ſummam conficere minimum mille talentorum. Talenta enim argentea ſunt, ut poſui, plura; ſi vero loquatur de aureis, minor profecto ſumma eſt (Not. 5.).

VII. Jam tametſi liberaliter adverſariis, Natalique præſertim Alexandro (*b*) daremus, non ſolas Judæ, Beniamin, & Levi Tribus, Ptolemæo Philadelpho regnante, in Judæa habitaſſe, immo & Tribuum nomina commode adhuc potuiſſe internoſci; ad illam tamen tuendam, ac retinendam hiſtoriam tria ſumi debent, quæ ſingula moleſtiæ afferunt, ac ſollicitudinis plurimum. Scilicet hæc ſumas, neceſſe eſt, 1. ex qualibet Tribu magnam per id temporis hominum multitudinem domicilium in Judæa habuiſſe; 2. fuiſſe in unaquaque complures, qui Hebraicæ linguæ ſcientia plane excellerent; 3. ex his etiam fuiſſe plurimos in Græcis litteris verſatiſſimos, quo deinde ſeni poſsent ex ſingulis Tribubus deligi ſacra Hebræorum volumina græce reddituri. Verum tria hæc diſtincte, ipſa per ſe, multoque magis coacervata cum omni veriſimilitudine perſpicue pugnant, habita temporis, quo res contigiſse creditur, ratione. Etenim in Judæa nulla magna erat Græcæ diſcendæ linguæ neceſſitas, Hebraica in familiari, & quotidiano ſermone dudum in deſuetudinem abierat, chaldaice, ut compertum eſt, ea tempeſtate Judæis loquentibus, exacta vero Babylonica ſervitute, perpauci ex nonnullis reliquarum decem Tribuum, non aliqui ex ſingulis Tribubus in patriam cum Tribu Judæ, & Beniamin redierunt. Quo fit, ut fere ἀδύνατον cenſeam, vel ex qualibet Tribu ſex, vel ex omni promiſcue Hebræo populo LXXII. viros eligi

ubi tota peracta res eſt, convenienter Alexandrinis talentis uti malis, quemadmodum etiam Scriptoris conditio poſtulat, cum ſingula libris conſtent 7200, ſumma duplo plus augebitur, cogemurque affirmare, Ptolemæum argenteos nummos, pluſquam ſexdecies centies millies impendiſſe. Ædepol! Quanti, & quam profuſi ſumptus! Fuit ne quiſquam tam profuſus nepos?

(*a*) Rabb., & Thalm. Expoſ. (*b*) V. H. E. in 6. Mun. Æt. Diſſ. 8. prop. 1.

gi potuisse iis ingenii, animique ornamentis, atque virtutibus præditos, quæ in tam augusti Collegii, quale Aristeas describit, Patres convenirent.

VIII. Quamquam nulla satis idonea, nec apta ratio produci potest, cur septuaginta duo viri ad eam obeundam provinciam Hierosolymis Alexandriam mittantur. Nam ad sacros codices Græcis tradendos litteris ne octo quidem hominibus opus erat, ut proinde vetustiores Thalmudistæ nonnulli quinque Hebræos solum eam in rem incubuisse testentur non sine verisimilitudinis specie. *Extat narratio*, inquiunt, *de quinque senioribus, qui legem Ptolemæo græce transcripserunt* (a), nec valde repugnant posteriores Rabbini. Quare ex hoc, proximeque superiori argumento sic statuo, totam de Hierosolymitana illa legatione historiam ab Judæo quodam Alexandrino confictam esse, qui nihil frequentius, quam magnum Hebræorum Synedrium, nihil crebrius, quam duodecim Hebræorum Tribus animo recolebat [6].

28. Pa-

(a) Tract. Massechet Sopherim cap. 1.

6 Argumenta vero hactenus exposita nullo modo infirmat, nec diluit homo in Theologicis rebus vanissimus Gullielmus Wisthonus, qui nuper hoc sibi oneris imposuit, ut prope extinctam, atque intermortuam Aristeæ gloriam excitaret. Is anno 1724. cum librum ederet, cujus inscriptio latine a me redditur: *Complementum litterale Prophetiarum Scripturæ*, Appendicem subjecit, ubi traditam ab Aristea historiam ab omni falsitatis nota, & fraudis suspicione vacare ostenderet. Quo ego loco satis pro merito mirari nequeo hominis ingenium. Nam qui tantopere in tuenda Aristeæ fide desudat, is Canticorum libro divinam auctoritatem derogare non metuit, nec veretur dicere, vetus Testamentum ita corruptum, mutilatumque esse, compluribus ut careat testimoniis, quæ Evangelici Scriptores exinde pro re nata excerpserunt. Egregiam sane rationem Deistas oppugnandi. Novam profecto artem docendi, quod veterum de Dei Filio oraculorum veritatem, ac fidem exitus postea luculenter comprobavit. Apage nugas. Quis hunc hominem talia comminiscentem reformidet? Præstabat, ut Astronomum ageret, ne Heterodoxis etiam, Itehenero in primis, Nonnenio, Carpzovio (Crit. Sac. par. 3. cap. 4.), a quibus confutatus acerrime est, temeritatis pœnas daret. Præclare vetus proverbium.

Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.

Sed interea quæret fortasse aliquis, quid lucri, quæ utilitas ex nostra sententia in Theologiam redundet. Præter ea, quæ in promptu sunt, & proposita omnibus, id etiam commodi capiemus, ut nihil necesse sit cum Usserio duplicem 70. Interpretum editionem confingere, alteram germanam, ac veram, quæ Ptolemæo Philadelpho Rege apparari cœpta est, & in Alexandrinæ Bibliothecæ, ubi reposita fuerat, incendio periit (Vid. §. 42.), alte-

28. Papæ! inquis. Quidquid igitur de LXX. Interpretibus circumfertur, te judice, fabellam olet. Perſonatus Ariſteas, commentitiæ Alexandrinæ cellæ, vanæ, & futiles Judæorum Helleniſtarum narrationes, ipſa hiſtoriæ ſumma falſitatis ſuſpecta. Eſt ne quiſquam tam parum acute cernens, qui fidem tibi ſit habiturus? Riſum enim, & ſtomachum moves. Tu vero egregie, perbelle. Verumtamen omnem ego diſputationem rationum momentis, non verbis, atque Plautino ſale tranſigendam exiſtimo. Hem, noctuas Athenas quæris? Nam principio hiſtoriæ ſummam adduci in quæſtionem non poſſe, illud documento eſt locupletiſſimo, quod Judæi Ægyptii, Philone teſte, ejus rei memoriam die feſto anniverſario conſecrandam exiſtimaverint; Palæſtini vero ob ſacros libros græce converſos ſolemne indixerint jejunium, de quo ita in Judæorum Kalendariis ad VIII. Tebeth, ſive Decembris: *Jejunium propter translationem legis in græcum.* Deinde Ariſtobulus, auctor graviſſimus, & pervetuſtus, quidquid memoriæ proditum ab Ariſtea eſt, in ſuis Commentariis diſerte comprobavit. Chriſtiani autem majorum gentium Patres mirandum in modum cum Ariſtea, Philone, Ariſtobuloque conſentiunt. Præterea trita illa negata hiſtoria, Græcæ editionis elevatur, & vacillat auctoritas; quod ne accidat, religioſiſſime præcavendum eſt. Poſtremo, niſi hiſtoriæ ſumma vero niteretur, ea de re *non tam ſtabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum ſæculis, ætatibuſque hominum inveterare potuiſſet. Etenim*

alteram ſpuriam, & apocrypham, quæ, regnante Philometore, inſtituta ſit, & in alterius locum ſubrogata, quæque tametſi ab Hebraicis fontibus ſæpiſſime aberraret, tanquam germana tamen, ac propria 70. Interpretum editio opinione hominum habebatur, ſolaque ad poſteritatem permanavit. Equidem Valeſius plenioribus datis ad illum litteris (extant in fin. Tom.1.Euſ.) ſingularem Uſſerii opinationem refellit; idque doctiſſime; ſed quamquam manifeſte oſtenderit, unicam ſemper 70. adſcriptam Interpretibus editionem fuiſſe, qua ratione tamen ad noſtram uſque ætatem viguerit, vix a magno alioquin viro patefactum invenies. Noſtra autem facillima, atque expeditiſſima confutatio eſt. Cum enim interpretationem illam Judæi Alexandrini non cujuſquam juſſu, ſed ſponte ſua ſuſceperint, ut privatim, ac publice legi, atque intelligi poſſet, ejus exemplaria paſſim Judæorum manibus terebantur, non unicum in Alexandrinam Bibliothecam illatum eſt. Itaque commode in manus noſtras pervenit. Quibus ex rebus illud etiam efficitur, Uſſerii opinionem ea implicari Dialecticorum fallacia, quæ ſumit pro conceſſo, & probato id, quod in controverſiam cadit.

nim videmus, cæteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate temporis extabuisse. Quis enim hippocentautum fuisse, aut chimæram putat? Opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. Atque his Ciceronis verbis (*a*) caussam perorant contrariæ disciplinæ Theologi.

29. Rationes tamen ejusmodi facile possumus, quin etiam accurate, nisi nostra nos fallit opinio, expedire. Philonis enim de die festo testificatione magnopere non movemur. Nam ubi rumores, narrationesque illæ de sacris codicibus LXX. Interpretum opera græce editis increbuerant, perque Judæorum animos alte pervaserant, non hercle factu fuit difficile festum deinde diem publica etiam auctoritate quotannis agendum decernere, quemadmodum Philone vivo agebatur, ut tam præclari facti jucundissima permaneret apud posteros recordatio. Cui enim, oro, cognitum, perspectumque non sit, quam multa, decurso aliquo temporis spatio, instituì identidem soleant ad renovandam, repetendamque rei memoriam, quæ etsi vulgo veluti certa, & testata habeatur, nullum tamen, nisi fortasse in multitudinis cerebro, stabilitatis habet præsidium? Quod nisi indoctorum hominum invidiam, atque offensionem timerem, explicarem hic tum libenter, tum pluribus etiam verbis diligenter. Sed malo quibusdam videri nimis timidus, quam parum prudens. Itaque etsi Calmetius, præeunte Marshamo (*b*), festum illum, & anniversarium diem Alexandriæ institutum, cujus Philo meminit, fabulæ loco numerandum existimet, viro tamen eruditissimo non assentior, cum incredibile sit, Philonem de facto sui temporis scribentem tam aperte, atque insulse mentiri potuisse.

30. Longe tamen abhorreo ab opinione Scaligeri jejunium a Palestinis Judæis indictum agnoscentis (*c*). Ea enim instituti jejunii caussa fuisse fingitur, quod Græcam interpretationem odio haberent, & tanquam pestem execrarentur. At Flavius Josephus, Judęus ipse Hierosolymitanus, vir magnus, atque eruditus, idemque in primis Sacerdos de interpretatione illa Gręca, totoque editionis negotio ex Aristea magnifice loquitur. Magnifice etiam loquuntur, ac ne de facie quidem norunt jejunium antiquissimorum Hebręorum complures, quos cer-

(*a*) Lib. 2. de Nat. Deor. sub initium. (*b*) In Chron. Can.
(*c*) In Euseb. num. 1734.

certum est, Interpretes divino quodam spiritu afflatos putasse. Maimonides autem apud Morinum (a) jejunia gentis suæ enarrans istud, de quo agimus, omnemque illius historiam præterit, cum tamen commentitias aliorum jejuniorum causas, probatisque historiis contrarias eodem loco persequatur. Itaque quod in hodiernis Judæorum Kalendariis istiusmodi celebretur jejunium, nullius est ponderis, immo ipsa fabula ponenda in lucro. Argumento enim non obscuro esse poterit, Rabbinos, qui jejunium constitutum esse finxerunt, tum illos, qui adhuc putidiorem fabulam de triduana caligine commenti sunt, cæteros denique omnes, quibus Græca interpretatio odiosa, atque execrabilis, non omnino sibi induxisse in animum, rem viris doctissimis Hierosolyma Alexandriam missis, & Pontificis Maximi auspiciis acceptam referri oportere. Alioquin nunquam adeo delirasent, ut ista confingerent. Quemadmodum etiam parum verisimile arbitror, posteriores Judæos, ut Aquilam, novam interpretationem aggressuros fuisse, si certum putasent, priorem illam confectam summi Pontificis, magnæque Synagogæ auctoritate, &, quod caput est, a septuaginta duobus hominibus delectis a Pontifice, qui græce, & hebraice tam belle scirent, quam qui bellissime. Sed jam duabus adversariorum rationibus cumulatissime satisfactum est.

31. Quod autem Aristobulus de Græca divinorum voluminum editione commemorat, ex Aristea, cujus jam opusculum erat apud Judæos Alexandrinos in gratia, desumptum crediderim, nec proinde, si quidem in re Critica non cæcutio, facere fidem potest. Dicam audacter, Aristobuli auctoritati qui nititur, Sisyphum infeliciter imitatur, qui versat, monente apposite Tullio,

Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum (b).

Floruit Aristobulus (c) anno 188. Aeræ, ut vocamus, Contractuum, nimirum totis 152. annis, postquam fertur ea editio adornata; quæ temporis diuturnitas plane sufficit, ut Aristeæ commentum confingi poset, propagari, excipi, magnoque cum plausu, & asensu hominum comprobari. Cogitemus enim, Aristeanum opusculum post annos 100. a Græcæ editionis epocha conscriptum ese; ambigi nequit, quin post

(a) Lib. 1. Exercit. 8. cap. 3. (b) Lib. 1. Tuscul. num. 5.
(c) Lib. 2. Machab. cap. 1. ver. 10.

post 100. annorum spatium intelligentes, doctique homines, qui fraudem detegere potuissent, e vivis excesserint, unaque in oblivionem abire potuerint documenta, quæ rursus Aristeæ mendacia luculenter patefecissent; anni vero reliqui duo, & quinquaginta plus etiam satis ad opus late dissemi-nandum, eidemque apud aliquam nationem conciliandam auctoritatem historiæ, si id præsertim nationis intersit. Itaque & confidenter, & sine contracti erroris suspicione potuit Aristobulus vanas illas, ac futiles Aristeæ narrationes exscribere, approbandasque posteris propinare.

32. Sed nec desunt acutissimi ingenii viri, qui cum Simonio, & Prideauxio Aristobuli in Libros Mosis Commentarios genuinum non esse, germanumque hominis fœtum merito arbitrentur. Hæc enim apud Eusebium (a) Aristobuli oratio: ante Alexandrum Macedonem divinam Hebræorum legem in Græcum sermonem, etsi non satis concinne translatam fuisse, illam Socratem, Platonem, Pythagoram studiose perlegisse, atque ex hisce fontibus priscos Græciæ Philosophos divinarum, humanarumque rerum scientiam hausisse, atque expressisse. Utrumque tamen vacillantibus fultum est fundamentis. Nam ante LXX. Interpretes vetustiorem aliquam Mosaicorum librorum Græcam interpretationem extitisse, probabilitatis, me quidem judice, parum habet. Id enim & sola loquuntur fragmenta Aristobuli, nec cum Aristeæ narratione cohæret, nec Hebræis editio ejusmodi opus erat, antequam Alexandriam incolerent, nec iidem sacrarum litterarum, tanquam paternæ hæreditatis, custodes studiosissimi divinos libros cum exteris populis communicabant, nec denique, si Aristobulus non mentitur, novam necesse fuisset editionem ordiri, sed veterem potius Judæi expolivissent, a mendisque, & erroribus expurgassent. Neque vero illud juvare Aristobulum poterit, quod inter Mosis, veterumque Philosophorum dogmata, atque sententias mira quædam reperiatur similitudo, ut hi proinde illius disciplinam derivare in rem suam debuerint. Siquidem hæc omnia vel doctrina a Majoribus sibi per manus tradita, vel sola etiam natura duce rite cognoscere, planeque assequi potuerunt. Etenim rationis lumen manifeste ob oculos ponit, Deum unum esse, sapientissimum, optimum, qui nec invidia tenea-

G tur,

(a) Lib. 13. Præpar. Evangel. cap. 12.

tur, nec gratia, Mundum ab illo ortum duxisse, ejusque consilio, ac providentia administrari, animorum in terris nullam posse originem inveniri, eosdem post mortem corporis vivere, nedum superesse, homines ad communitatem, societatemque vitæ esse natos, debere idcirco diligere, & amare inter se, stupra, adulteria, furta, mendacia, peccata omnia fugienda, præclare facta laudanda, honestis denique, probisque viris, ut finem faciam, præmia deferenda, ut contra impios animadversione pœnæ a sceleribus revocandos. Hinc tot illa degendæ vitæ præcepta, quibus pleni sunt Philosophorum libri. Quæ cum sint, necessitate nulla cogimur confirmare cum Aristobulo, veteres Græciæ Philosophos optimam doctrinarum suarum partem ex sacris litteris, Mosaicisque fontibus excerpsisse, quemadmodum adversus Huetium gravissimi homines luculenter demonstrarunt. Mirumque idcirco videri non poterit, si ea lex, verbi gratia, quæ apud Hebræos fœminas hæredes tribulibus suis nubere statuit, apud Athenienses quoque, natura duce, per Solonem floruerit, & si legem Mosis caventem, ne Hebræis Hebræi serviant, in sua etiam Republica adhibuerit Plato, Græcisque præscripserit.

33. Ex his interea conjecturam nonnulli faciunt, Aristobulianum Commentarium adulterinum opus esse ab Hellenista quodam Judæo conscriptum multis post annis, quam fingitur exiisse; eoque magis corroboratur suspicio, quod illius omnium primus meminerit Clemens Alexandrinus, Philone præsertim, & Josepho silentibus. Si quo enim Aristobulus Commentario anno 188. circiter Æræ Contractuum libros Mosis illustrasset, cum & excellens, ut traditur, Philosophus, & homo apud Judæos gratiosissimus fuerit, certe quidem & Philo, & Josephus nobilissimi viri opus ad usus traduxissent suos, cum laude saltem, atque honoris caussa aliquando appellassent. Nunc autem mirum apud ambos silentium. Nec argumenti vim elevat Vossius, cum ait, Josephum ne Philonis quidem operum meminisse (a). Philonem enim Josephus & commemorat, & laudat, ubi locus, & tempus postulabant, Aristobulum nusquam, quamvis omnino expectandum esset, ut qui in Antiquitatibus Judaicis de Judæorum rebus sub Ptolemæorum ditione uberrime disserit, de Ari-

(a) De LXX. cap. 4.

Aristobulo Sacerdote, & cui Ptolemæus in disciplinam se dederit, mentionem injiceret. Qui potuit tantum virum præterire silentio, si de eo quidquam fando inaudivisset? Accedit, quod qui posteriori memoria de Aristobuli Commentario mentionem faciunt, Clemens Alexandrinus, Anatolius, Eusebius, de persona dum agunt, in magna sunt sententiarum varietate constituti. Nam, ut alia omittam, Clemens (*a*), & Eusebius (*b*) Aristobulum eundem hominem esse volunt, ac quem alter Machabæorum liber cap. 1. commemorat, Anatolius (*c*) vero unum ex LXX. Interpretibus, centum scilicet quinquaginta duobus annis ætate superiorem, immo nec ipse Clemens sibi semper quoad Aristobuli facta, & personam cohæret (*d*). Cæterum Commentarium illud, quocumque demum auctore in lucem prodierit, brevi temporis spatio obtinuit, paullatimque ab omni auctoritatis gradu dejectum est; quippe cum exploratum sit, post Clementem Alexandrinum, & Eusebium ejus deinde mentionem fuisse penitus intermissam. Quare, ut omnia verbo complectar, qui Aristobuli Commentarium, tanquam adulterinum opus rejiciunt, Philosophumque ejusmodi ne in rerum quidem natura ullo unquam tempore extitisse sentiunt, verisimilioribus, quam adversarii, argumentis moventur. Et de Aristobulo satis, superque.

39. Nam de Patribus tacere hoc loco præstat, quam pauca dicere. Etsi enim complures historiam de LXX. Interpretibus asseveranter probaverint, non unum tamen habeo, quod respondeam, mihi vero posthac brevitati diligentius serviendum. Illud tantum monere par fuerit, quæstionem hic esse in manibus, quæ in re historica, non in media religione versetur, tum contentus ero Antonii Pagii, viri clarissimi, atque ornatissimi auctoritatem supponere. Hæc igitur Pagius. *Libellus Aristeæ inter suppositítios censetur a viris doctissimis, tum ex Catholicis, tum ex Protestantibus. Nec refert, quod sancti Patres Aristeæ historiam tanquam veram narrationem operibus suis inseruerint; nam ea utrum esset vera, nec ne, non erat cur critice inquirerent, quandoquidem Græca Septuaginta Seniorum versio, qua tunc Ecclesia*

 ute-

(*a*) Lib. 5. Strom. (*b*) Lib. 8. Præpar. Evang. cap. 9.
(*c*) Apud Euseb. lib. 7. Hist. cap. 32.
(*d*) Confer lib. 1. & 5. Strom.

utebatur, adversus Judæos, qui contextum Hebraicum inter disputandum Christianis passim opponebant, illius fidem egregie tuebatur .... Universa libri Aristeæ oratio ita composita est, ut a Judæo quodam Hellenista, gentis suæ amantissimo, constructa fuisse videatur. Misſis deinde Lectoribus, qui plura cupiant, ad Scaligerum, Valesium, Hodium, & alios his verbis progreditur. *Licet autem historia, quæ sub Aristeæ nomine circumfertur, commentitia sit, male tamen quis inde translationi, quæ diu in Synagoga, & in Ecclesia fidem obtinuit, detraheret* (*a*).

35. Atque id sane rectiſſime. Græcæ enim editionis auctoritatem sartam rectam ab omni periculo conservari, non fluctuare, nec labi, etsi quæ circumfertur historia, in dubium revocetur, infra, tanquam in loco, enucleate demonstrabo, ut interim miſſum faciam, illud fixum adhuc, ratumque manere posse, sacras Hebræorum litteras non sine sapientiſſima divini Numinis cura, ac providentia Græca olim civitate fuiſſe donatas, quo expeditior ad Christum aditus cæteris nationibus aperiretur, quemadmodum scite Tertullianus, Eusebius, Chrysostomus, Augustinus, alii commentantur. Simili certe consilio Dei, qui fortiter omnia, suaviterque constituit, factum est, ut, quoniam lingua Græca multorum linguis, ac litteris usurpari cœperat, sacri aliqui libri græce potius, quam hebraice, aut chaldaice scriberentur. Hoc tacitus præterire nec poſſum, nec debeo, Hieronymum virum religiosiſſimum, atque doctiſſimum non absurde, neque insolenter se agere censuiſſe, qui Græcam editionem divinæ mentis instinctu, & afflatu elaboratam esse diffitebatur; permultos vero, ut apud Brianum Waltonum (*b*) prolixe videre est, etsi de historiæ veritate non ambigant, non aliam tamen, præter humanam, editioni illi auctoritatem adscribere. Sunt præterea graves Theologi, qui licet Aristeanam complectantur historiam, ipsis nihilominus Græcis codicibus nihil deferunt, tantum in Latinis acquiescendum existimant. Quanto nos ergo prudentius facimus, qui solam improbantes historiam auctoritatem retinemus?

36. Quod si denique historia ejusmodi, qua de agimus, una cum sæculis, ætatibusque hominum quodammodo invetera-

(*a*) Crit. in Baron. ad an. 182. num. 4.
(*b*) Appar. in Bibl. Proleg. 9. §. 56.

teravit, a plurimisque Scriptoribus tanquam vera, & legitima ultro comprobata est, id nihilominus perspicacem, attentumque Theologum a nostra tuenda sententia non debet abducere (§. 24.). Quin errorem illum latissime fundi, omnesque in partes disseminari potuisse, mirari unusquisque facile desinet, si rem voluerit a capite arcessere, & unde omnia manant, videre. Etenim secum ipse reputet, necesse est, Auctores, qui de hoc argumento scripserunt, vel ex uno personato Aristea, vel etiam ex falsis Alexandrinorum rumoribus, confictisque ex industria fabulis historiam desumpsisse, nec factum, quod tanto hominum consensu, ac testium numero constabilitum intelligerent, curiosius ad examen revocandum putasse, cum præcipue ipsa res ad Hebraicæ, Christianæque Reipublicæ splendorem, & gloriam vehementer conduceret [7]. Quid plura? Nonne plerique ex adversariis, qui Patrum, qui Scriptorum subsidium invocant, disputantes contra vulgatam de septuaginta cubiculis fabulam respon-

7 Quæ hic summis quasi labiis, & cursim attigimus, liquido ex iis apparent, quæ a §. 9. huc usque variis in locis uberrime disputavimus, iisdemque nescio quibus præterea adversariorum argumentis occurritur. Cæterum est non nemo, qui super LXX. Interpretum editione ita philosophetur: Græcam editionem eiusmodi nusquam, necdum Christo nato, extitisse, illam Liberatoris nostri discipulos confecisse, cum demonstraturi Christianam religionem veteribus prophetiis innixam esse, adacti necessitate sunt ad sacros codices Græcis litteris consignandos, hinc a LXXII. Christi discipulis Septuaginta Interpretum cognomentum accepisse, ac proinde mirari posse neminem, si hæc divinorum librorum interpretatio, quæ a tantis manavit auctoribus, incredibilem in tota, qua late patet, Ecclesia obtinuerit auctoritatem. Hæc nuper de LXX. Interpretibus mecum communicavit, datis Pisauro litteris, Vir e Sodalitio Cl. Reg. Minorum nonnullis, quæ divulgavit, opusculis satis cognitus, & illustris Thomas Gabrinius. Verum hominem mihi amicitia conjunctissimum Romana fide monui, vereri me plurimum, ut caussam suam æquis posset approbare judicibus: nam probaturum non spero, cum nihil tam aperte, ac dilucide inter omnes constet, quam sacras litteras græce apparuisse, antequam Dei Filius humano corpore vestiretur. Unum præteriens opponam, si res ita gesta sit, quemadmodum Gabrinius opinatur, non defuturos fuisse scriptores, tot jam exactis sæculis, qui nos de ea historia certiores fecissent. Perpetuum tamen in tota antiquitate silentium. Sed hoc ille viderit. Mihi enim tantum abs rebus meis non vacat, ut copiosius disseram, qui si rationes singulas Gabrinianam opinionem labefactantes complecti velim, video, facilius esse disputationis principium, quam exitum invenire. Conjecturas hominis qui nosse desiderat, adeat Tom. 9. *delle Memorie per servire alla Storia Letteraria* pag. 205. & seqq. ubi Auctores Dissertationis hujus nostræ meminerunt.

pondere solent, potuisse Justinum perfacile a Judæis deludi in re, quam sibi non modo, verum etiam hominibus omnibus maxime persuasam esse cuperet, & eadem facilitate, eademque juvante caussa, opinionem illam Justini posterorum percrebuisse sermonibus? Nec tamen superiora Ciceronis verba sibi quicquam putant officere, nec mirantur, tam errantem, & vagam sententiam tam multis sæculis permansisse. Ut finis sit, cum gravia, & manifesta ex ipsis narrationis visceribus sumpta, non solum extrinsecus adscita reclamant documenta, nec rem, sicut exponitur, ita gestam esse patiuntur, veterum testificatio ad faciendam fidem non valet.

37. Totius igitur controversiæ caput illud est, historiam LXX. Interpretum, qualem vulgo describunt, gravissimis rationibus labefactari, commentumque non ex aliis initiis profectum esse, nisi quod Ptolemæi Philadelphi memoria Alexandrini Judæi Græcam divinæ legis interpretationem ediderint, quam deinde ut ad altiorem auctoritatis gradum eveherent, voce, scripto, studiisque omnibus persuadere posteris conati sunt, cura Demetrii Phalerei, permissuque Eleazari summi Pontificis a LXXII. suæ gentis primoribus, Senatoribusque doctissimis adornatam fuisse. Ubi hoc notatione dignum, tametsi Aristeas septuaginta, & duos Interpretes nominet, paullatim tamen obtinuisse consuetudinem, ut pro LXXII. commodiori ad rem exprimendam numero LXX. dicamus, quemadmodum caussarum minorum Judices, qui ad hastam sedebant, olim a Romanis Centumviri vocabantur, etsi centum, & quinque numero essent, ternique ex singulis tribubus in Centumvirale illud Collegium adlegerentur. Sic quoque septuaginta, & unus Gedeonis filii ab auctore libri Judicum pleniori numero septuaginta appellantur. Quod cum aliqui non vidissent, existimarunt, Scriptores revera quoad Interpretum numerum secum discordare, nonnulli vero Arabes (a) temere finxerunt, ex illis duos supremum diem in ipso itinere obiisse.

38. Principio, ut indicavimus, sola Mosaica lex ab Alexandrinis græce translata est. Id enim Scriptores illi antiquissimi, qui primum Græcæ editionis meminerunt, plane, aperteque loquuntur. Nam Aristeas libris Historicis, atque Pro-

(a) In Chron. Orient.

Propheticis silentio prætermissis, coram Philadelpho unice, *Scripturas legis* perlectas narrat; nec plura Philo Judæus: Aristobulus autem apud Eusebium (*a*): ἡ δὲ ὅλη, inquit, ἑρμηνεία τῶν διὰ νόμου πάντων ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου Βασιλέως, σοῦ δὲ προγόνου, γέγονε, προσενεγκαμένου μείζωνα φιλοτιμίαν Δημητρίου τοῦ Φαλερέως, καὶ πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτου, *tota legis interpretatio sub Rege Philadelpho cognominato, proavo tuo, peracta est, Demetrio Phalereo multum studii adhibente, totumque negotium promovente*; Josephus tandem in Antiquitatum proœmio non divinam omnem Hebræorum scripturam, sed unius tantum legis volumina communicata cum Ptolemæo fuisse testatur. Quocirca peropportune Hieronymus (*b*): *accedit ad hoc quoque, quod Josephus, qui LXX. Interpretum proponit historiam, quinque tantum ab eis libros Moysi translatos refert: quos nos quoque confitemur, plusquam cæteros, cum Hebraicis consonare*. Et in cap. 5. Ezech. *quamquam*, ait, *& Aristeas, & Josephus, & omnis Schola Judæorum quinque tantum libros Moysi a Septuaginta translatos asserunt*; quod rursus Hieronymus cubitalibus litteris in 2. Micheæ caput confirmat. Pentateuchum vero, ut idem rectissime admonet, longe majori accuratione, ac diligentia, quam libros reliquos, græce fuisse versum, neminem arbitror in hac tanta litterarum luce ignorare. Non semel enim Interpretes differunt in exponenda ejusdem Hebraicæ vocis ratione, in scriptione, & stilo, in formandæ, fingendæque editionis via, cum modo Hebræis codicibus religiosissime inhæreant, modo liberius a litterali, ac nativo eorumdem sensu discedant, maximam interdum in eodem reddendo vocabulo præ se inconstantiam ferre videantur. Hæc autem, & alia id genus complura a Ludovico Capello, a Simonio, a Calmetio uberrime exposita, quæque Interpretationi illi B. Hieronymus vitio sæpenumero verterat, certum nobis, planeque egregium argumentum suppeditant, quamobrem non omnes veteris fœderis libros, Ptolemæo Philadelpho Rege, commigrasse in Græciam existimemus.

39. Etenim quod plerique cum Bellarmino, & Natali Alexandro dicere contra solent, illustrem olim Apostolos, Ecclesiamque multis ætatibus universam Græcorum exemplarium

(*a*) Lib. 13. Præpar. Evang. cap. 12.
(*b*) Proœm. Quæst. Hebraic. in Gen.

rium usum fecisse, hæc vero ratio, cui ad obtinendam victoriam adjumento esse possit, non video. Nam quamvis, Philadelpho imperante, unam Hebræi legem necessitatis caussa (§. 26. II.) interpretati græce sint, libri tamen, qui supererant, ante fundatam, constitutamque Christianam Rempublicam verti potuere, ut reapse versos fuisse singulos, & nos ingenue dedimus, & innumeris, ac selectissimis compertum est argumentis (§. 26. & not. 7.). Itaque mirari mihi in mentem venit, tam leviusculam, & infirmam rationem viris alioquin summis, atque acutissimis probari potuisse. Porro Hieronymus, (nam ne sanctissimum quidem hominem in nostram ivisse sententiam, si Diis placet, clamitant), Hieronymus, inquam, si aliquando Græcam librorum omnium editionem LXX. Interpretibus videtur adscribere, vel loquitur dubitanter, non affirmate, vel, ut aperte dicam, quod sentio, suo edoctus periculo aliquantisper temporibus, hominumque servit ingenio, ne acerbius sui nominis obtrectatores exulceraret, sed ut potius, quibuscumque rebus, & modis posset, placaret, leniret, ad caussamque suam adjungeret, quo fere pacto, ut lepide canit Horatius,

.... *Pueris olim dant crustula blandi*
Doctores, elementa velint ut discere prima (*a*).

Quis enim monstra crudelissima nesciat, quibuscum Hieronymo, in solitudinem licet abdito, depugnandum diu fuit? Quis procellas, tempestatesque, quæ illi subeundæ? Quis immanes scopulos, Acroceraunia, qui prætervehendi? Ergo sic mihi facile persuadeo, atque id eo magis, quo attentius scripta Hieronymi, epistolasque in primis pervoluto, nostrum hunc fecisse quandoque in quæstionibus de LXX. Interpretibus, quod proxime superiori memoria in Physicis disciplinis Isaacus Newtonus, qui, ut non nihil Cartesiani sæculi genio indulgeret, latentem Attractionis caussam ab externa quoque mechanica vi verecunde, dubitanterque proficisci posse affirmavit (*b*), etsi aliunde in contraria versaretur sententia. Non equidem serio potuit summus ille Philosophus externam Attractionis causam, quæ ritu corporum agat, statuere, qui errantes Stellas in spatiis a materia nudis, & vacuis mutuo se se petere, atque in se ferri diserte docuerat; verumtamen

(*a*) Serm. lib. 1. Sat. 1.
(*b*) Princip. Mathem. lib. 1. Schol ad prop. 69.

tamen plusculum etiam, quam concedit veritas, Cartesianis largiri maluit, ut minus repugnanter suum de Attractione dogma, a quo tantopere abhorrebant, amplexarentur. Similia ego de Hieronymo dixerim.

40. Cur autem soli libri Mosaici in græcum ab initio conversi fuerint, ei caussæ assignandum puto, quod Ptolemæis in Ægypto regnantibus, sola divinæ legis volumina in Judæorum conventibus legerentur. Tradunt id constantissime Rabbini veteres, interque cæteros Elias Levita (*a*), ex quorum etiam testimonio accepimus, Judæos consequutis temporibus coactos morem gerere Antiocho Epiphani, vetanti, legem publice recitari, ne prosus sine lectione sacra Synagogam frequentarent, prophetarum libros in legis locum suffecisse. Fallitur ergo Isaacus Newtonus (*b*), qui statim post Judæorum reditum ex Babylonia prophetas publice lectos esse pronunciat. Notissimum est autem, Judæos libros Mosaicos semper pluris fecisse, quam reliquos, & quasi in effati consuetudinem apud illos abiit, licere sibi libris carere cæteris, Mosaicos vero oportere, ut unusquisque apud se habeat. Negat hoc loco Wowerius (*c*), libros Mosis ab aliis veteris Testamenti libris sejunctos, ac separatos fuisse; sed hallucinari hominem perspiciet, qui animadverterit, non semel in sacris litteris quinque Mosis libros non ejusdem Mosis libros, sed librum, sive codicem Mosis singulari numero appellari (*d*), interdum vero librum legis (*e*), quod uno continerentur volumine. Extat hodie Pentateuchus seorsim ab aliis libris arabice, persice, syriace, coptice, hebraice quoque in Judæorum Synagogis passim, atque in Bibliothecis Britannicis. Sed quid? Nonne solum Pentateuchum chaldaice olim edidit Onkelosus? Itaque Wowerii opinio nihil habet firmamenti, nec virium; multoque magis novum, & singulare Newtoni, quem proxime nominavi, commentum. Is ut in Philosophia acutissime vidit, sic contra in Theologia non uno in rerum genere peccavit aberrans a veritate, quam qui longissime, id quod tertio quoque fere versu ostendit opus illius posthu-

H mum

(*a*) Apud Rivetum Isag. in Script. cap. 29. §. 23., & apud Hotting. Thesaur. Philol.

(*b*) Comment. in Daniel., & Apocal. Londini 1733.

(*c*) Syntagm. de LXX.

(*d*) Esdræ lib. 1. cap. 6. v. 18., & lib. 2. cap. 13. v. 1., Marci cap. 12. v. 26.

(*e*) Lib. 2. Esdræ cap. 8. vers. 8.

mum Londini editum anno 1733., inscriptum vero *Observations upon the Prophecies of Daniel and the Apocalypse*. Instar omnium esse potest, quod ibi suspicatur (a), Pentateuchum non eundem esse, ac quem primum Moses conscripserat, intercidisse illum, quo tempore Philistæi arca potiti sunt, Samuelem vero, ut tam gravi jacturæ aliquod afferret remedium, monumenta vetera, quæ supererant, collegisse, novumque Pentateuchum, quo hodie utimur, confecisse, in Genesi autem Regum seriem, qui ex Esau familia in Idumæa imperarunt, numerasse. Verum cum hæc opinio toti antiquitati repugnet, nec ullis aut rationis, aut auctoritatis præsidiis septa sit, neminem movere debet. Pentateuchum igitur, qui in manus nostras pervenit, Moses composuit, eundemque ipsum, non alium, Hebræi Interpretes Græcis litteris tradiderunt.

41. Sed jam illa ad se nos vocat controversia, quibus tandem ex fontibus, vel exemplaribus divinos libros converterint, sive distinctis temporibus, sive omnes, Ptolemæo Philadelpho rege, conversos existimes. Sunt enim qui censeant, Philonis permoti testimonio, editionem illam e Chaldæo manasse, sunt qui cum Gedalia ex Syriaco, sunt qui cum Gullielmo Postello, & Seldeno ex Samaritano, sunt postremo qui aliunde conantur arcessere. At qui rem ex Hebræis codicibus, iisdemque emendatioribus repetunt, hi proprius, ut opinor, ad veritatem accedunt, 1. quia in eam sententiam Aristeas, Josephus, atque universa propemodum uno ore conspiravit antiquitas; 2. quia improbabile duxerim, Alexandrinos Judæos, qui in usus publicos, atque domesticos id muneris susceperunt, ad rivos potius, quam ad fontem, unde nativo suo colore purior fluxisset veritas, confugere voluisse; 3. quia Græca isthæc divinorum librorum interpretatio, si Paraphases Chaldæas [8] exceperis, reliquarum omnium

(a) In Disc. Proæmiali.

8. De Chaldaicis Paraphrasibus, quas Targumim in plurali numero vocare solent Judæi, permagna est inter Theologos opinionum dissensio. Octo in præsentia circumferuntur Paraphrases, prima Onkelosi in Pentateuchum, altera Jonathanis Ben-Uzielis in Josue, Judices, Samuelem, Libros Regum, Isajam, Hieremiam, Ezechielem, & duodecim minorum gentium vates, tertia in Pentateuchum eidem Scriptori falso fortasse attributa, quarta rursus in Pentateuchum Hierosolymitana dialecto exarata, quam idcirco Tar

omnium versionum familiam antiquitatis gloria verisimillime antecellit. Quare animose Isaacus Casaubonus *puerum*, inquit, *in sacris litteris esse oportet, qui nesciat, LXX. Interpretum versionem ex Hebræo esse desumptam* (a); ego vero nequeo dare Simonio, Hebraicos illorum codices multis locis vitiatos, & corruptos fuisse, & fortasse etiam corruptiores, quam nostros (b). Quamvis autem traditum a Philone (c) acceperimus, LXX. Interpretes Chaldæis codicibus usos esse, nihilominus hisce freti argumentis nuncium ejus sententiæ remittere bono animo possumus, nisi si quis, quod valde probabile arbitror, respondere maluerit, Philonem Chaldæos codices commemorantem Hebræos intellexisse. Nam certe libro de Abrahamo *Henoch*, *Sara*, & alia id genus nomina interpretatus nunc Chaldaica, nunc Hebraica appellat, similiterque vocem *Pascha*, quam libro tertio de vita

Targum Hierosolymitanum appellant; quinta in libros Meghilloth, nempe in Ruth, Esther, Ecclesiastem, Canticum, & Lamentationes Hieremiæ, sexta aliud Targum in Esther satis copiosum, septima Targum Josephi Cæci, verius Lusci in Job, Psalmos, Proverbia, octava denique in Paralipomena. Priores duæ Paraphrases Onkelosi, & Jonathanis, ut ex concordi Rabbinorum consensu, Zacuti præsertim, Gedaliæ, Davidis Ganz, Abrahami Levitæ, ex stilique simplicioris ingenio, & natura conficitur, nonnullis annis natalem Christi diem prævertunt, cæteræ longo post intervallo quin prodierint, non dubitamus. Sed & aliæ Paraphrases statim a Babylonica servitute fuere litteris consignatæ. Teste enim Maimonide (Hilch. Tephi lib: 1. cap. 12.) *a diebus Esdræ consueverunt Judæi habere Interpretem, qui populo id interpretetur, quod Lector ex lege prælegit*, ne vero Interpretes, ut est hominum ingenium, implicati hærerent, morasque interponerent, fieri necessario debuit, ut Paraphrases lingua Chaldaica in usus sacros, & publicos scriberentur. Sane hæc Targumim jam inde ab Esdrinis temporibus obtinuisse, aut mandata fuisse litteris, tam perspicue demonstrat Prideauxius, ut illi necesse sit, non imbutos consuetudine animos cedere. Ego in hominis argumentis totus placidissime conquiesco; immo sic moveor, ut non solum, quæ mihi dudum arriserat, a Morini opinione discedam, & ne Carpzovii quidem mediam fere inter cæteras sequar sententiam (Crit. sac. par. 2. cap. 1. §. 2. num. 4.), verum etiam non difficulter existimem, Paraphrasium posteriorum permultas ab illis vetustioribus, quæ ab ipsa Esdræ memoria scribi cœptæ sunt, expressas, atque haustas esse. Sed dignus est, qui super hoc argumento omnino adeatur laudatus Humfredus Prideauxius in Judæorum historia par. 2. lib. 16. ubi etiam nonnullis Morini, Natalisque Alexandri argumentis cumulate satisfacit.

(a) Exercit. 16. sect. 11.
(b) Hist. Crit. Vet. Testam. lib. 1. cap. 16.
(c) Lib. 3. de vit. Mos.

Mosis, e Chaldæo petitam esse docuerat, libro de Decal. inter Hebraicas dictiones apertissime enumerat.

42. Quibuscumque tamen codicibus, vel exemplaribus Græcæ editionis originem debeamus, tria, nostra saltem sententia, vocari in disceptationem non possunt, id operis Alexandriæ susceptum esse, & a viris doctioribus, ubi vero confecta res est, divinorum librorum exemplar in regia Bibliotheca repositum. Primum clarissime intelligitur ex §. 27. IV., alterum ponit ob oculos ipsa operis ratio, confirmantque suis suffragiis veteres, recentioresque Scriptores, ut parum prudenter fecerit Augustinus Steuchus Eugubinus, qui in LXX. Interpretibus sæpe Hebraicæ, Græcæque linguæ scientiam requirit (*a*). Tertium autem, Græco scilicet sacrarum litterarum exemplo Alexandrinam Bibliothecam instructam, ornatamque fuisse, nemini dubium esse poterit, qui paulisper consideraverit, quod antiquissimi quique Scriptores concordissime testati sunt, nihil studiosius Ptolemæum Philadelphum curasse, nihil habuisse antiquius, quam ut Bibliothecam suam omni librorum genere copiosissime locupletaret. Exemplar vero eo usque ibi superfuit, donec illa optimarum artium, & sapientiæ quasi officina fatali incendio, quod ab Julio Cæsare excitatum est, conflagravit. Adeo in humanis rebus, quas tanti facimus, nihil demum est, quod diu in statu suo permaneat, nec longinquitate temporis concidat.

43. Quis autem rem divinasset? Exemplar illud, quod tantis, ac tam stabilibus doctrinarum opibus abundabat, nec plurimi Paganus populus æstimavit, nec unquam fortasse studiosi homines lectionis caussa adierunt. Nemo enim de Græcis, vel Latinis auctoribus, quorum scripta extant, ejus codicis meminit; immo quotquot de Hebræa natione verba faciunt, Abidenus ipse, Artapanus, Eupolemus, cæteri apud Josephum, & Eusebium tam infeliciter a veritate, a testimonioque divinorum librorum plerumque aberrant, ut merito suspicari possimus, nihil veteres de sacris litteris, postquam græce redditæ, exaratæque sunt, ne fando quidem audivisse. Diodorus Siculus, omnis antiquitatis investigator laboriosissimus, qui eam ob caussam totos triginta annos multas regiones peragravit, versatusque est in Ægypto, dum adhuc

(*a*) Præfat. in Vet. Testam. ad Hebraic. verit. Recognit.

adhuc ſtabat Bibliotheca Alexandrina, tam rudis, & ignarus fuit rerum Judaicarum, ut Judæos crediderit, nunquam fuiſſe a Regibus gubernatos, in eorum vero conſtituenda origine quot verba ſcribit, tot fere errores (*a*). Similiterque Trogus Pompejus is, qui perſecutus eſt origines gentium, floruitque, Auguſto Cæſare imperante, auctor ſeveriſsimus a Plinio appellatus. Sed age, exſcribamus Trogi locum, *&* *crimine ab uno diſce omnes*. „ *Judæis origo Damaſcena, Syriæ nobiliſſima civitas. Nomen urbi a Damaſco rege inditum. Poſt Damaſcum Azelus, mox Adores, & Abraham, & Iſrabel reges fuere. Sed Iſrabelem felix decem filiorum proventus majoribus ſuis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna diviſum filiis tradidit, omneſque ex nomine Judæ, qui poſt diviſionem deceſſerat, Judæos appellavit, colique ejus memoriam ab omnibus juſſit*. Sermonem mox inſtituit de Joſepho, tum pergit ad reliqua. *Filius ejus Moſes fuit, quem præter paternæ ſcientiæ hæreditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat. Sed Ægyptii, quum ſcabiem, & vitiliginem paterentur, reſponſo moniti, eum cum ægris, ne peſtis ad plures ſerperet, terminis Ægypti pellunt. Dux igitur exſulum factus ſacra Ægyptiorum furto abſtulit, quæ repetentes armis Ægyptii domum redire tempeſtatibus compulſi ſunt. Itaque Moſes, Damaſcena antiqua patria repetita, montem Synam occupat, quo.... cum tandem veniſſet, ſeptimum diem more gentis ſabbathum appellatum, in omne ævum jejunio ſacravit. Poſt Moſem etiam filius ejus Aruas ſacerdos ſacris Ægyptiis, mox Rex creatur, ſemperque exinde hic mos apud Judæos fuit, ut eoſdem reges, & ſacerdotes haberent, quorum juſtitia cum religione permixta, incredibile quantum coaluere* „ (*b*). Rogo nunc eos, quibus nefas eſt vulgatam de LXX. Interpretibus hiſtoriam in dubium revocare, potuit ne Trogus, potuit, qui Trogi opus compendifecit, Juſtinus magis ſolemniter delirare? Commenta ſunt hæc, & fabulæ non differentium hiſtoricorum, ſed ſomniantium. Atqui in eadem ſunt cauſſa Strabo (*c*), Apion (*d*), Plinius Major (*e*), Plutarchus (*f*), Trebellio (*g*), alii. Monſtra

paſ-

(*a*) Eclog. lib. 40. & lib. 34. (*b*) Juſtinus ex Trogo lib. 36. cap. 2.
(*c*) Vid. lib. 16. (*d*) V. Joſeph. lib. 2. cont. Apion.
(*e*) V. Hiſt. Nat. lib. 30. cap. 1. (*f*) V. Sympoſ. lib. 4. cap. 5.
(*g*) V. Vitam Claudii cap. 1.

passim, & portenta loquuntur, ut nihil frequentius agere videantur, quam ineptissima, aniliaque mendacia venditare iis plane gemina, quæ sparserunt, ac disseminarunt in vulgus cum Tacitus comminiscens, Judæos in Templo Hierosolymitano caput Arietis colere (*a*), tum Juvenalis, cum eosdem irridens ait:

Quidam sortiti metuentem Sabbatha Patrem
Nil præter nubes, & cæli Numen adorant,

vel cum sibi induxit in animum, Mosaicam esse legem

Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos (*b*).

Ignotæ igitur Græcis, Latinisque hominibus doctioribus divinæ litteræ, nec ab illis adiri, aut legi solitæ, etsi Græcum habitum, vestitumque induissent. Unus apud Eusebium (*c*) Demetrius, qui de rebus gestis Judæorum historiam Alexandriæ edidit ad Ptolemæi usque Philopatoris continuatam tempora, videtur sacrorum librorum exemplar lectitasse. Sed Demetrium facile quis posset conjicere religione, & genere Hebræum fuisse, tantum ejus historia cum divinis voluminibus fere ubique consonat; nisi fortasse existimandum sit, quæ scripto prodidit, ea hominem ab Judæo aliquo accepisse.

44. Cum ergo eruditiores apud Gentiles viri Græcos Hebræorum codices neglexerint, atque ignoraverint, editionem vero illam, quæ curæ, ac studio Demetrii Phalerei tribuitur, nusquam meminerint, ex his illud primum efficitur, quod supra statueram, Aristeanæ historiæ summam, veritatemque concidere (§. 27. V.), deinde, quod etiam posui (§. 32.), Græcos, atque exteras nationes naturalium rerum, morum, legumque scientiam ex sacris litteris non hausisse, tandem Hellenistas Judæos summa, qua poterant, religione Græcam editionem apud se servavisse, id caventes, providentesque diligentissime, ne exemplaria in aliorum manus pervenirent. Ubi tamen Christiana constituta religio est, tunc Græci codices e Judæorum Synagogis, & domibus, tanquam e latebris, eruperunt, sensimque illorum numerus, ac multitudo ita percrebuit, ut ipsa deinde exemplaria fere in omnium manibus versarentur. Ex quo factum est,

(*a*) Histor. lib. 5. cap. 2. (*b*) Satyra 14.
(*c*) Præpar. Evang. lib. 9. cap. 21. 29.

est, ut consequutis ætatibus profani quoque populi aliquam sibi veterum divinorum librorum notitiam, cognitionemque paraverint.

45. Præterea a primis Christianæ Reipublicæ initiis magna ubique locorum Græcæ illi editioni accessit auctoritas, eademque, ut Hieronymiana utar sententia, *jure obtinuit in Ecclesia, vel quia prima, & ante Christi adventum* [9], *vel quia ab Apostolis, in quibus tamen ab Hebraico non distat, usurpata* (a). Ex hac reliquæ omnes interpretationes ab Ecclesia antiquitus introductæ, & probatæ, ne excepta quidem Syriaca [10], tanquam ex fonte expressæ sunt, Arabica, Æthiopica, Armena, Illyrica, Gothica, Latina vetus undequaque ante Hieronymum recepta. Hac Græca omnis Respublica a prima ætate sacra fecit, & hodie constanter facit, Latinis non repugnantibus. Hanc Majores nostri commentariis illustrarunt, in operibusque suis citarunt quam sæpissime Ignatius, Clemens uterque, Justinus, Irenæus, Tertullianus, Cyrillus, Basilius, Chrysostomus, Theodoretus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, & immortalia illa religionis lumina, atque præsidia, quotquot litteris, sanctitatisque opinione olim floruerunt. Ex hac sacrorum Antistites ad Comitia

(a) Epist. ad Pammach. edit. Vallarsii.

9 Paucula ista verba Hieronymi, his in rebus longe exercitatissimi, & cujus judicia omnium maxime oportet attendere, duo opprimunt hominum genera, Gabrinium, editionem nostram septuaginta Christi discipulis adscribentem, tum eos, qui nolunt editionem illam ex Hebraicis exemplaribus derivare. Hæc passim se offerunt nihil tale cogitantibus.

10 Syriacam non excipio, nec mehercule sine caussa. Etenim præter vetustissimam editionem Syriacam, quæ ex Hebræo fonte adornata est, ut recte Waltonus, du-Pin, Simonius, & alii tradiderunt, alia erat editio in eadem lingua ex LXX. Interpretum profecta exemplaribus. Prior Apostolorum circiter temporibus prodiit, opera probabiliter Christiani Auctoris, natione Hebræi, & ab utriusque linguæ cognitione, scientiaque instructissimi, atque hac Syriacæ Orientis Ecclesiæ etiam nunc utuntur; altera sexcentis fere est annis posterior, illamque, ut ex Assemanni Bibliotheca Orientali intelligimus (Tom. 2.), Ecclesiæ nonnullæ Syriacæ integram, & incolumem retinent, ambas pariter, æqualiterque adhibentes. Maronitæ tamen, Syrique alii Christiani, quos, ut video, admodum delectat antiquitas, prioris editionis originem fere ad Pyrrhæ sæcula referunt. Ajunt enim, partem exiisse in lucem jussu Salomonis, Hirami Tyriorum Regis usibus destinatam, reliquos vero libros post Salomonem conscriptos prodiisse jussu Abgari, qu vivente Christo Edissæ regnabat. Sed hujus opinionis levitas simplici expositione confutatur. Conf. Prideauxium in Hist. Jud. lib. 9.

mitia convenientes religionis ejusdem capita, atque mysteria firmarunt, hac impiorum errores, & perniciosas sententias divinæ veritati contrarias coarguerunt, hac aggressi sunt, & refutarunt Judæos, hæc, tanquam penus, unde ad pietatem instituendæ vitæ regulas, atque præcepta depromerent, hæc denique Patribus in ore erat conciones ad populum e suggesto habentibus.

46. Quid quæris? Nonnulli veteres eo etiam progressi sunt, ut sacros codices, afflante, atque incitante Deo, in Græcam linguam conversos esse statuerint, Justinus præsertim, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Hilarius, Augustinus. Nihilominus cum isthæc sententia vulgari illi de LXX. Interpretibus historiæ, atque opinione multorum appendici in primis de 70. cubiculis innitatur, nihil est, cur nobis religioni ducamus, si doctrinam ruinoso fultam fundamento (§. 16. 27.) præfati, ut decet, veniam repudiemus. Profecto Hieronymus, vir in omni critica, & antiquitatum genere egregie eruditus, nunquam sibi inducere in animum potuit, LXX. Interpretes in vatum loco ducendos esse, meros, ut erant, Interpretes habuit. *Aliud est enim vatem, aliud*, inquit, *est, esse Interpretem: ibi spiritus ventura prædicit, hic eruditio, & verborum copia ea, quæ intelligit, transfert. Nisi forte putandus est Tullius Oeconomicum Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demosthenis pro Ctesiphonte orationem afflatus rethorico spiritu transtulisse* (a). Hinc etsi doctissimum hominem Melchiorem Canum in ea sententia esse video, ut existimet, sine divino quodam spiritu sacras litteras interpretari posse neminem (b), id illi tamen, Hieronymo, ac Bellarmino duce, non facile assentior. Verum hæc ad extenuandam Græcæ editionis auctoritatem nil valent, adeo supervacaneum est a rebus dubiis, vel commentitiis testimonium petere veritatis. Ratam illam, ac firmam ubique habet in libris suis Hieronymus; tantum, ne quid nimis, prudentissime edicit.

47. Adde, quod eandem Apostoli, ultro consentiente Hieronymo, suo usu consecrarunt. Si quis enim veteris instrumenti sententias in Evangeliis, Paulique Epistolis laudatas conferat cum Græcis codicibus, his apprime cohærere illas, atque congruere deprehendet. Rem Origenes, nedum Hie-

(a) Præfat. in Pentat. (b) Lib. 2. de Loc. cap. 14.

Hieronymus, diligentissime exploravit, vir uterque ætatis suæ sapientissimus, idoneusque, & peritus, si quis alius, caussarum ejusmodi & Judex, & arbiter, quippe cum ambo in Græcis, Hebraicisque litteris plurimum operæ, ac studii magna cum laude posuerint, atque idcirco ipsi per se Græcam editionem cum Hebræis possent exemplaribus comparare. Matthæus, qui scripta sua hebraice edidit, non raro antiqui fœderis testimonia ex Hebræis codicibus profert, at Lucas, Joannes, Paulus ad Græcos fontes digitum persæpe intenderunt: persæpe vero, inquam, cum merito existimem, confidentius, quam rei natura patitur, scriptum a Vossio, *Christum, & Apostolos eadem verba, & eosdem, quos LXX. Interpretes, ubique expressisse sensus* (*a*). Apposite summa doctor auctoritate Irenæus: *Apostoli consonant prædictæ interpretationi, & interpretatio consonat Apostolorum traditioni* (*b*): in eandemque Augustinus sententiam *ego*, inquit, *pro meo modulo vestigia sequor Apostolorum, qui & ipsi ex utrisque, idest ex Hebræo, & Septuaginta testimonia prophetica posuerunt* (*c*).

48. Neque vero superioris argumenti vim illud imminuit, vel infirmat, quod Paulus ex Arato etiam, atque Menandro versus protulerit, ex Menandro quidem, φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαὶ, *corrumpunt bonos mores colloquia mala* (*d*), ex Arato autem, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν, *ipsius enim & genus sumus* (*e*), id, inquam, argumenti vim non infirmat. Paulus enim Aratum, Menandrum, quin & Epimenidem testes adhibuit, ut Græcis ostenderet, doctrinæ suæ summam, ac vim nec Græcis ipsis poetis latuisse, & quia a vero David didicerat gladium de hostium manibus extorquere, superbissimique Goliæ caput propriis ipsius armis abscindere. Cum vero Apostoli in suis quisque operibus sacrorum Auctorum fidem ex Græcæ editionis ingenio contestantur, in isto ipso ostendunt, eam cum Hebræis fontibus consentire, quo fit, ut illi, tanquam a se dedicatæ, magnum auctoritatis pondus adjungant. Quamquam caussæ nihil est, quin dicamus, Paulum Græcorum Poetarum, quos aliquando appellavit, sententias quodammodo sacravisse, cum præ-

(*a*) De Oracul. Sybil. cap. 14. (*b*) Lib. 1. adver. Hær. cap. 25.
(*c*) Lib. 18. de Civit. Dei cap. 49. (*d*) 1. ad Cor. cap. 15. v. 35.
(*e*) Act. cap. 17. v. 28.

ſertim merito docuerimus, ſingulas divinorum librorum particulas Deo, qui ſyllabatim dictavit omnia, adſcribi oportere (§. 2. & not. 2.). Ex ſuperioribus igitur hoc exiſtit, Græcæ editioni, utpote quam veneranda omnis antiquitas (§. 45.) Apoſtolique in primis uſu ſuo conſecraverint (§. 47.), eſſe plurimum deferendum. Quid enim multis perſequar doctrinæ adjumenta, utilitates, & commoda, quæ ex Græcorum codicum tractatione, & ſtudio comparare ſibi Theologi poterunt ad ornandam, vel etiam tuendam Eccleſiæ dignitatem, quæque vel ipſi Heterodoxi ſcriptores, Pearſonius, Grabius, Lambertus Bos, Fabricius, aliis compluribus qua aperte, qua tacite approbantibus, uberrime explicarunt?

49. Qui tamen Græcis codicibus litem, bellumque intenderunt, permulta nobis objiciunt, quibus editionis illius tota, ut rentur, labefactatur auctoritas. I. Cum Tridentinus Senatus, inquiunt, editionem Latinam ſolemni decreto eſse Authenticam declaraverit, Græcæ ſine dubio omnem fidem, auctoritatemque derogavit. II. Nec mirum. Hæc enim ſexcentis in locis ab Hebraica aberrat origine, ut minus difficile ſit horologia, quam Hebraica, & Græca exemplaria in concordiam, amicitiamque reducere. III. Cujus rei exemplum capere locupletiſſimum poſsumus ex ratione temporum a LXX. Interpretibus inita, qui mare cœlo miſcentes tam fœde Chronologiam perturbarunt, ut Mundo duo, eoque amplius annorum millia tribuant, quam emendati Hebraici codices patiantur. IV. Deinde ex Patriarcha illo commentitio Cainane, quem ſine cauſſa, immo Hebræis omnibus exemplaribus aperte reclamantibus, medium inter Sale, & Arphaxad poſuere. V. Quid plura? Demonſtratum viris graviſſimis, Græcos codices Judæorum improbitate, ac ſcelere mirifice vitiatos eſſe, corruptos, adulteratos, ut ipſi Interpretes, ſi reviviſcerent, editionem ſuam vix, ac ne vix quidem poſſent agnoſcere. Quare qui tantum operæ, & curæ in tuenda Græcæ editionis auctoritate conſumunt, deſertarum, relictarumque rerum patrocinium oſtentandi ingenii, non veri reperiendi cauſſa ſuſcipiunt.

50. Ego hoc tamen ſine ulla dubitatione confirmo, ex propoſitis non effici, nec eſſe conſequens, quod concludere adverſarii volunt, qui mihi videntur arripere quaſi jure ſuo rem nullo modo probabilem. Itaque non multum hæſitans reſpon-

respondebo, ducto a Patribus Tridentinis initio, qui tametsi editioni Latinæ ad coercendam effrænem Hæreticorum audaciam, atque temeritatem αὐθεντείαν adscripserint, nihil tamen Græcæ editionis fidei detractum voluere. Eo enim valet Patrum sapientissimorum decretum, ut nemo unus posthac audeat veterem Latinorum editionem rejicere, quippe quæ præter Latinas reliquas in rebus ad fidem, moresque attinentibus magis & pura sit, & sincera, & fonti Hebraico consentanea. Quo fit, ut Latina exemplaria Græcis, atque Hebraicis ne antepofuerint quidem, tantum abest, ut hæc Tridentini Antistites indicta caussa proscripserint. Apposite Bellarminus: *nullam fontium mentionem faciunt, sed solum ex versionibus Latinis, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam cæteris anteponerent* (*a*). Est ergo Latina editio, ut Græci vocant, αὐθεντική, nempe ad controversias de religionis capitibus, de morumque doctrina componendas multo omnium Latinarum aptissima, quidquid Romanæ Ecclesiæ desertores, & transfugæ, quorum novis editionibus sacri libri contaminati sunt, ineptissime effutiant; nihilominus sua stat adhuc Hebræis, Græcisque codicibus pervetus, & illustris auctoritas. Immo, quod maxime rem, caussamque continet, Tridentinus ille Senatus, teste in primis nobili Salmerone, qui Comitiis interfuit, *liberum reliquit omnibus, qui Scripturas sacras profundius meditantur, fontes Hebræos, & Græcos, quatenus opus est consulere, quo nostram Latinam vitio librariorum, vel temporum injuria corruptam emendare valeant* (*b*), Latinamque præterea Psalmorum editionem haustam ex LXX. Interpretibus αὐθεντικὴν declaravit. Hæccine igitur Græcorum codicum auctoritatem evertunt, aut saltem imminuunt? Apage malevolorum calumnias.

51. Jam argumentum, quod proxime sequitur, etsi multos primo adspectu perterrefecerit, tanti tamen non est, ut nos de loco debeat, & sententia dimovere. Non negaverim, inter Hebræos, Græcosque codices permagnam esse rerum, nedum verborum, discordiam, at discordia illa, atque dissensio repeti fortassis interdum potest ab exemplaribus, quos Græcæ editionis Auctores ad manus habuerunt, aliquando ex ipsa longinquitate, & injuria temporum, sæpe etiam ex Librariorum indiligentia, atque oscitantia, quem-

I 2 admo-

(*a*) Lib. 2. de Verb. Dei scripto cap. 1. (*b*) Proleg. 2. in Bibl.

admodum vel inde maxime apparet, quod errorculi illi, ac nævi non omnes quandoque codices occuparunt. Id de errore in describendis annis Mathusalem dudum animadversum est Augustino tum lib. 15. de Civit. Dei cap. 15. tum 2. in Gen. quæst. ubi explicaturus, qui potuerit Mathusalem secundum Græca exemplaria post diluvium superesse, *hanc quæstionem*, animose ait, *plurium codicum mendositas peperit. Non solum quippe in Hebræis aliter invenitur, verum etiam in LXX. Interpretibus Mathusalem in codicibus paucioribus, sed veracioribus sex annos ante diluvium reperitur fuisse defunctus*. His accedit, LXX. Interpretum editionem sæpenumero specie potius, quam re ab Hebræo fonte, atque contextu recedere, ac tandem differentiam in rebus exigui ponderis, & momenti, ut in verbis, nominibus, numeris, cæterisque ejusmodi sitam esse, nunquam vero in doctrina, quæ vel certis religionis decretis, atque capitibus, vel rectæ morum institutioni adversetur. Sed hic locus a sapientissimis viris, Sixto præsertim Senensi (*a*), Morino (*b*), Natali Alexandro (*c*) tractatus uberrime orationis lucem, his potissimum litteris, atque temporibus, a me non desiderat.

52. Ex sacra item Chronologia nullum duci argumentum potest, quo Græcæ editionis fides, auctoritas, vis elevetur, quia controversia ejusmodi de antiquissimorum Patriarcharum ætate cum sacrosanctis religionis capitibus, morumque regulis neque affinitatem habet, neque necessitudinem. Quæ de similibus quæstionibus judicia olim Hieronymus æquissime fecerit, quæso, diligenter attendite. *Relege*, inquit, *omnes & veteris, & novi Testamenti libros, & tantam annorum reperies dissonantiam, & numerum inter Judam, & Israel, idest inter regnum utrumque confusum, ut hujuscemodi hærere quæstionibus non tam studiosi, quam otiosi hominis esse videatur* (*d*). Cæterum vetus opinio est, magnoque Patrum firmata consensu, in ineunda temporum ratione, sive in numerandis veterum Patriarcharum annis LXX. potius Interpretum calculis, quam Hebræo fonti fidem habendam esse. Quoniam tamen est hic Theologis integrum, in quam quisque malit, abire sententiam, postquam maxime Tridentini Antistites sacram Latinorum Scripturam solemni edicto

Au-

(*a*) Differt. de Translat. S. Scrip. (*b*) Lib. 1. Exercit. 6. &c.
(*c*) Differt. 11. in 2. sæc. (*d*) Epist. ad Vital.

Authenticam declararunt, ego, ut ingenue de me confitear, Hebræam Chronologiam, summis mihi, doctissimisque hominibus præeuntibus, Chronologiæ a LXX. Interpretibus constitutæ multis nominibus anteponendam existimo. Etenim ab omni prorsus verisimilitudine abhorret, immensam fere Hebræorum multitudinem ubique terrarum degentium in adulterandis Hebræis suis codicibus tam mirabiliter conspirasse, nec ratio, vel conjectura afferri potest probabilis, cur iidem hos codices adulterare voluerint, ut illud silentio transeam, Onkelosi Paraphrasim, versiones Syriacam, & Arabicam, editionemque Latinam cum Hebræis exemplaribus convenire. In sacra ergo Chronologia, in definiendisque vetustissimorum Patriarcharum annis fontes malumus, quam rivos sectari, atque hinc a Mundi initiis ad natalem Christi diem quatuor annorum millia cum Usserio non immerito numeramus [11].

53. Ma-

11 Hæc ego mandaveram litteris, cum primum in lucem hoc opusculum exire jussi. Nunc tamen dissimulare non debeo, recenti adhuc memoria viros fuisse doctissimos, qui abjectam Grææ editionis Chronologiam iterum constituere, ac veluti postliminio revocare conati sunt, Joannes nominatim Morinus, Isaacus Vossius, Paulus Pezronius, Turneminius, aliique & eruditione, & ingenio excellentes scriptores, in quorum sententiam si quis concedere maluerit, & religiosum hominem se probabit, neque ego pugnaciter litigabo. Nituntur enim compluribus rationum momentis, quæ ex Romanæ Ecclesiæ auctoritate in Martyrologio, ex omnium fere Patrum approbatione, & suffragiis, ex Josepho, Hebræo homine, sumuntur. Nam Josephus etsi in Præf. ad Antiquitatum Judaicarum libros promiserit, veterem se suæ gentia historiam ex Hebræorum codicum fide scripturum, Patriarchis tamen liberis operam dantibus totidem postea annos tribuit, quot a Septuaginta Interpretibus tributos videas. Sed hæc nota cuique sunt omnia.

Illud minus perspectum, & cognitum, idemque tamen multo gravius, ac luculentius videri poterit, quod ex Indorum Chronologia proferam, debeo vero (honestum est enim de se confiteri, per quos proficias) viro clarissimo, dignitateque ornatissimo Josepho Torrubiæ, Commissario, quod ajunt, Franciscinæ Familiæ Generali. Indi enim in omni nationis suæ antiquitate egregie periti, cum religionem nostram complexi rationes maximis studiis subduxissent, deprehenderunt, a Mundo condito ad natalem Christi diem præteriti temporis spatium tot annos conficere, quot Græci Interpretes numerant. Ne quis autem judicio magis meo, quam doctissimorum hominum testimonio fidere videatur, proponam ea de re totum locum, ex quo hæc mutuatus sum, nobilissimi, & gravissimi Equitis Laurentii Boturini in Libro, qui inscribitur, *Idea de una nueva Historia General de la America Septentrional*, editusque est anno 1747. Faciam autem eo libentius, quo apertius hinc constabit, quam præclare Hispani homines Ecclesiæ laudi, rationibusque prospiciant. Locus ille igitur per Interpretem latine a me

reddi-

53. Magno autem, graviſſimoque errore ducuntur, qui cum incredibile, atque a vero abſonum cenſeant, antediluvianos Patriarchas ad mille circiter annos vixiſſe, ut divinis litteris proditum eſt, annos ejuſmodi vel menſtruos fuiſſe fingunt, vel tales certe, quorum centenos quoſque decem noſtri adæquarent. Etenim cum annus diluvii (peto hanc enim ab æquis Lectoribus veniam, mihi ut de via liceat pauliſper excurrere: nam & breviſſime faciam, & ea moderatione, ut omnes intelligant, me hiſce publicis potius diſputationibus indulſiſſe, quam genio), cum igitur annus diluvii diebus 365., menſes vero diebus 30. conſtiterint (a), perſpicue ſequitur, hiſtoriæ Moſis vim audacter inferre, qui Patriarcharum annos menſtruo ſpatio metiuntur. Præterquam quod Patriarchæ citius, quam ætatis noſtræ homines e vita migraſſent, quippe qui ne annum quidem octogeſimum attigiſſent, iidemque, ut Cainam, Malaleel, Henoch, procreandis liberis dediſſent operam ſeptem, vel ſex nati annos, quod ædepol ſine riſu, & ſtomacho audiri nullo pacto poteſt. Ad hæc Patriarcharum annos noſtris ætate non concedere, tota docet Moſaicæ hiſtoriæ ſeries, ex qua didicimus, poſt generalem terræ alluvionem brevi homines a priſtina illa vitæ diuturnitate excidiſſe. Nam idem auctor, qui conceptis verbis ſcripſit Adamum, verbi gratia, Mathuſalem, Noe annos pluſquam nongentos vixiſse, paullo poſt memorat, vixiſse Salem annos 433., Heber 464., Phaleg 239., Reu 239.,

Sa-

redditus ita ſe habet. *Nulla eſt inter Gentiles natio, quæ res veteres ad punctum fixum referat accuratius, quam Indi. Rationem nobis reddunt creationis Mundi, Diluvii, Confuſionis linguarum in Turri Babelica, aliarum periodorum, & ætatum Mundi, longorum itinerum, quæ populares ſui in Aſiam ſuſceperunt, addentes annos ſuis quemque notis diſtinctos; eodemque modo in charactere, vel nota annorum, quæ eſt ſeptem Tochtli, latine cu*niculi, *nobis magnam illam Eclipſim demonſtrant, quæ in Chriſti Salvatoris noſtri obitu contigit. Ac primi ex Indis Chriſtiani, qui tunc Chronologiam ſuam pulcherrime callebant, totaque curioſitate animi noſtræ ſtuduerunt, eam nobis reliquere notitiam, a Mundi principio ad Chriſti uſque nativitatem decurriſſe annos 5199., quæ ſane eadem opinio eſt, ſive calculus 70. Interpretum.* Porro Boturinus opus, quod nominavi, ex delectis, probatioribuſque Indorum monumentis compoſuit, atque idcirco perhonorificis ſapientum virorum ſententiis ornatus eſt, ampliſſimiſque ad gloriam laudibus cumulatus, ut proinde argumentum eruditiſſimi Equitis pro revocanda temporum ratione a 70. Interpretibus conſtituta ſtabilibus inædificatum ſit fundamentis. Adeatur.

(a) Ex toto cap. 8. Gen.

Sarug 230., Thare 205., Abrahamum 175., ut nulla idcirco ratio subesse possit de ejus historiæ veritate ambigendi ; nisi fortasse velis , Abrahamum septemdecim tantum annos in vita mansisse, quem tamen Moses obiisse testatur *In senectute bona*, *provectæque ætatis*, *& plenum dierum* (*a*).

54. Plurimi qnoque , gravissimique Scriptores , quos testes Josephus adhibuit (*b*), Berosus in Chaldaicis , Manetho in Ægyptiacis, Hieronymus in Phœniciis , Hestiæus , Hecatæus, Hellanicus, Acusilaus, Ephorus, Nicolaus Damascenus, Hesiodus , alii (*c*) primos homines mille circiter vixisse annos consentiunt: quare incredibilis, atque ad libidinem ficta tanta vitæ diuturnitas videri nec potest, nec debet. Repetenda est enim ex pluribus causis eo una spectantibus (errant enim qui singulas seorsim accipiunt), partim scilicet ex æquabili cœli, tellurisque temperie , ut placuit Woodvardo, partim ex salubribus esculentis, & victu frugali, partim ex firmiori corporis constitutione, & compage, quam causam frustra improbat Heiddegerus (*d*) , præcipue vero ex singulari quodam Dei beneficio, qui homines diu salvos, incolumesque præstabat, ut humani generis soboles late propagaretur. Nam alioquin si vita hominum eo brevior naturaliter fieret , quo longius a prima Mundi origine recedimus, ac distamus , per hosce dies , sive nostra memoria jam in nihilum abiisset. Aliam Abulensis (*e*) causam ex mitiori quodam , & benigno aspectu siderum repetit , sed constanter rejicient hodierni Philosophi , quibus merito persuasum est, a solo aspectu siderum , si uberiorem , vel minorem lucis copiam excipias, nihil sperandum , nec metuendum hominibus. Hæc cum ita se habeant , temere prorsus & Varro apud Lactantium , & Plinius, & recentiores Deistæ de diuturna illa, atque longissima Patriarcharum vita dubitarunt, ut inde calumniandi ansam arriperent , multa in sacris libris narrari, quibus , tanquam rebus incredibilibus, adhiberi fides non potest.

55. Eadem permoti fallacia Celsus olim apud Origenem , Apelles Marcionis discipulus , tum Deistæ, quos proxime nominavi , divinam de Arca Noetica historiam ad fabulas

(*a*) Genes. cap. 25. ver. 8. (*b*) Antiquit. lib. 1. cap. 4.
(*c*) Vid. Valer. Max. lib. 8. cap. 14. de Senect.
(*d*) Exercit. 14. in Hist. Patriarch. (*e*) In Gen. cap. 5. quæst. 11.

las amandarunt, ἀδύνατον opinantes, Arcam 300. cubitos longam, latam 50. altam 30. omnia animantium, escarumque genera, quæ illis nutriendis solidum annum suppeterent, suo complecti ambitu potuisse. Permagni autem boni Theologi interest id genus crimina fortiter, nervoseque repellere, ut qua maxime in re divinæ religionis nervi, atque artus pressi, solidique consistunt, sacrorum librorum auctoritas maneat, & sarta, tectaque, ut ajunt, ab omni incommodo, molestiaque præstetur, his potissimum moribus, atque temporibus, quibus impia Deistarum doctrina ita percrebuit, ut omnium opibus refrænanda, atque coercenda sit. In eandem illi, qua Apelles, sententiam arcam, inquiunt, *constat, fictam esse fabulam: quod si ita est, constat a Deo non esse hanc scripturam* (a). Qui tamen si, præter mentis sanitatem, paullo majores in Geometria habuisent progressus, neque eo temeritatis, & insipientiæ processisent, neque nunc vel ipsis pueris ludibrio esent, atque despectui. Quid de Arcæ amplitudine commentati sint Origenes, Augustinus, Capellus ad tantam illam redarguendam stultitiam, atque impudentiam, nihil attinet dicere. Joannes enim Buteo Delphinas, Wilkinsius, Lamy, in primisque pereruditus vir le Pelletier singulari Dissertatione Rhotomagi edita anno 1701. perspicue effecerunt, etiamsi vulgares cubiti intelligantur, Arcam nihilominus tantæ magnitudinis, amplitudinisque fuise, ut omnium animantium, rerumque genera, quæ introduci in illam oportuit, complexu suo aptissime contineret [12]. Qua ratione duo etiam præcaventur, ut nec

(a) Apud Orig. Homil. 2. in Gen.

12 Arcæ altitudinem in quatuor contignationes; vel tabulata dividimus, quorum primo cubitos tres cum dimidio, alteri septem, tertio octo, ultimo sex, ac semissem adscribimus; nam quinque cubitos, qui supersunt, tabulatorum, tectique crassitudo occupabat. Sentina, quam silentio præterit Moses, quod nullos præstaret usus, nisi ut aquam ad potum necessariam caperet, primum locum deorsum sursum tenebat; hinc in altera contignatione horreum, seu penu, in tertia quadrupedes, cæterasque terrestres bestias, in ultima denique aves, volucres, Noemique familiam collocamus. Enimvero maxime videtur probabile, Mosem in exponenda Arcæ magnitudine, Ægyptio cubito usum esse: hunc igitur ad Parisienses pollices, sive uncias redigamus. Joannes Gravius in Oxoniensi Academia Astronomiæ Professor, in Ægyptum cum se contulisset, Cairi, in urbe scilicet a veteri urbe Memphi non dissita, Ægyptii Derac, seu cubiti longitudinem ex publico Nilometrio

nec Arca Noetica major esset, quam postulabat necessitas, nec mole sua, atque onere dissiliret; id, quod effugere, ac vitare vix poteris, si Geometricos cubitos cum Origene acceperis.

K 56. Ar-

trio diligentissime exploravit, deprehenditque; esse illum partium 1824, cujusmodi partium in Parisino pede 1068. numerantur. Hinc existit, singulis Derac, seu cubitis pollices $20\frac{44}{89}$, sive pollices viginti, ac dimidium circiter respondere. Nam si regula aurea ineatur, ac fiat

$$1068 : 12 = 1824 : x$$

prodibunt pro quarto numero pollices $20\frac{132}{267}$, sive $\frac{44}{89}$ in minoribus numeris. Cum igitur Moses Ægyptios cubitos designarit, quilibet etiam Arcæ cubitus tot pollicibus, lineisque Parisinis constabit. Hodiernus enim Ægypti cubitus antiquo par, nihilque ei tot sæculis detractum, vel additum, ut, ne multus videar, egregio in primis argumento esse poterit Nilometrium, seu Niloscopium, quo Ægyptii ad metienda annua Nili incrementa ab omni fere antiquitate utebantur.

Quibus breviter explicatis, statuere merito possumus, Arcam Noeticam longam fuisse pedes $512\frac{384}{1068}$, hoc est $\frac{32}{89}$, latam pedes $85\frac{35}{89}$, altam postremo pedes $51\frac{21}{89}$, id, quod, aurea rursus regula adhibita, facile cognoscere poteris; totam vero soliditatem 357600. cubitis Hebraicis cubicis constitisse. Itaque vix ullum est in tota Europa Templum, quod tanti ædificii magnitudinem adæquet. Cum in carina, nobis judicibus, opus saburra non fuerit, capere illa potuit aquæ dulcis dolia plusquam 31174, quantum scilicet animalibus quadruplo pluribus, quam in Arca degerent, anno solido ad potum suffecisset. Octo autem pedes cubicos unicuique dolio assignamus. Porro animalium numerus minor est, quam indocti opinentur. Etenim ex quadrupedibus species tantum 130. circiter novimus, ex reptilibus autem 30. Jam magnitudine sex dumtaxat species equo præstant, paucæ illum adæquant, plures ipsis pecudibus, ovibusque concedunt. Quadrupedes igitur, numeratis præterea (ut liberaliter in hac quæstione cum Deistis agamus) 3650. ovibus, quas in escam carnivoris animantibus destinamus, tantundem spatii occupabant, quantum 120. boves, 3730. oves, & 80. lupi tenerent. Atque his bestiis in tertia navis contignatione 36. stabula construi commodissime potuerunt, attributa singulis stabulis longitudine pedum $25.\frac{1}{2}$, latitudine $29.\frac{1}{2}$, altitudine $13.\frac{1}{2}$, relicto insuper congruo, opportunoque intervallo, ut non solum aer libere quaqua versum cursitare, & effluere, sed possent etiam homines ultro, citroque commeare, scalarumque præsidio ex superiori Arcæ parte in inferiorem descendere. Equidem sunt Interpretes, qui tot distincta cubicula, seu stabula, quot erant animantium species, in Arcam induxerint. At quoniam complures bestiæ gregatim vivunt, nec loci communionem, societatemque refugiunt, satis est 36. stabula exædificare.

Pro

56. Arcæ latera non mixtilineis, neque acutis, sed rectis inter se angulis jungebantur, ideoque referebat illa Parallelepipedi rectanguli speciem, tecto dumtaxat non nihil inclinato, & devexo, ne aquis stagnantibus corrumperetur. Adductis autem exemplis demonstrare facile possumus, hanc navigii formam ad navigandum non minus, quam ad gravissima ferenda onera mirifice aptatam esse. Narrat enim Georgius Hornius in Imperatorum historia, Petrum Hans de Horne anno 1604. duas sibi naves ad Arcæ ejus similitudinem construendas curasse, atque harum alteram fuisse longam 120. pedes, latam 20., altam 12. Et initio quidem a naviculatoribus res risu, ut solet, cachinnis, sannis Arcæ instar Noeticæ excepta est; sed exitus postea utilitatem comprobavit. Experientia enim rerum magistra docuit, naves id generis plus tertia parte, quam alias, posse onerari, velisque passis longe celerius pervehi. Unum illud occurrit incommodi, quod naves ejusmodi in pace tantum valerent; quippe machinis, atque instrumentis bellicis gerendis impares, & ineptæ. Illarum vero usus passim apud Batavos toto induciarum tempore invaluit. Eant nunc profani homines, & Deistæ, genus hominum procax, petulantes,

Pro 101 bestiarum victu, & cibariis haud ægre locum in secundo Arcæ tabulato cum Buteone, Pelleierioque reperiam. Si enim fingamus, carnivora bestias, sæviente diluvio, carnibus pastas fuisse, quod tamen cum aliis inficiabitur Augustinus, tum vero in reliquorum animalium commeatum fœnum calculi gratia subrogemus, fuere opus ad victum fœni pondo 5840000., quæ spissa, & conferta 146000. cubicorum pedum spatium postulabant; secunda autem navis contignatio longe erat capacior, quippe quæ pedibus cubicis 522240. plus contineret; liquet ergo propositum. De suprema Arcæ contignatione magnopere non laboramus. Etenim quin illa omnes aves, & volucres cum earum commeatu, totamque Noe familiam cum annona, tritico, supellectile, & instrumentia ad colendos, exercendosque agros comparatis capere, atque complecti potuerit, nemo, ut opinor, iam facile dubitabit. Merito igitur Vilkinsius, & Saurinus *doctissimi, & peritissimi*, ut est apud Calmetium, *Geometræ, & navigiorum, ac molium maritimarum expertissimi Architecti statuerunt, nunquam fieri posse, ut magis exactum, elaboratumque ad artis regulam ædificium pararetur.... tantumque abesse, ut quæ in historia sancta narrantur, valida sufficiant Deistis arma oppugnandæ auctoritati sacrarum Scripturarum, quin potius ex illa invicta præbeantur argumenta, quibus adversus omnes nisus staret immota*. Supplem. Dict. Artic. Arca. Sed de Arcæ magnitudine in opusculo, quod in adversariis habeo, distinctius, & prolixius.

tes, versipelles, divinorum mysteriorum imperitissimi irrisores, eant, inquam, & ore, quod præferunt, ferreo Arcæ Noeticæ historiam, tanquam minus verisimilem, & portenti plenam audacissime accusent.

57. Ego enim me ad Cainan confero, cui Græcæ editionis osores immerito LXX. Interpretes locum inter Arphaxad, & Sale concessisse objectabant. Lupum hic secundum vetus Latinorum proverbium utraque aure tenemus. Nam si LXX. sequamur Interpretes, Hebraicos codices, in quibus Cainan ab omni antiquitate defuit, Latinamque editionem falsitatis insimulare videbimur: sin editionem Latinam, ut decet, & Hebraicum fontem sollicite tueri, ac custodire malimus, non Græcos solum Interpretes, sed Lucam etiam Evangelistam, qui Cainan inter Majores Christi sine dubio retulit, apertissimi vel mendacii, vel erroris insolenter coarguemus. Quid ergo? Animum ne despondebimus, ac demittemus auriculas? At Græci Scriptores plerique hanc Cainanis generationem agnoscunt, neque, monente peropportune Augustino (*a*), simile vero est, LXX. Interpretes, seu quicumque sacra Hebræorum volumina græce interpretati sunt, tam vane, ac frigide generationem illam unam confinxisse. Ex alia parte cum Usserio, Petavio, Spanhemio, cæterisque compluribus dicere, Cainanis nomen vel Librariorum incuria, vel fraude in Græca irrepsisse exemplaria, est hoc Gordianum nodum secare, non solvere. Nullum enim editionis Græcæ exemplar vel nunc extat, vel uspiam a veteribus memoratur, in quo Cainan non compareat. Loquar igitur confidenter: ea Cainanis generatio a LXX. Interpretibus Genesis cap. 11. adjecta est, nec falso tamen. Quin illi sive ex constanti Majorum traditione, sive ex genealogis, fideque dignis Judæorum historiis, sive ex aliis sacris libris, qui postea injuria temporum perierunt, acceperant, Arphaxad procreavisse Cainan, Cainan procreavisse Salem, quod proinde in sua editione non vere solum, sed fortasse etiam prudenter, ac multis moti argumentis posuere. Deus autem occulta nobis ratione Mosis mentem afflaverit, manumque permoverit, ut in ea Patrum serie generationem illam præteriret, quemadmodum divino quo-

 que

(*a*) Lib. 16. de Civit. Dei cap. 10.

que consilio plures postea Matthæus in Christi genealogia silentio prætermisit. Quibus theopneustis Scriptoribus eandem fuisse caussam, conjectura veri simillima Melchior Canus elegantissime declaravit (*a*).

58. Illustrius tamen, maximique ponderis argumentum, quo ostendatur, LXX. Interpretes nec falso, nec sine commendatione prudentiæ Cainanis generationem addidisse, ex divina Lucæ auctoritate deducitur. Lucas enim, ut diximus, Majoribus, unde Christus duxit originem, aperte, & sine dubio Cainanem apposuit. Qua in re, ne Græcos appellem, confitentes, atque approbatores habeo ex Latinis Patribus Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Bedam, & alios, quorum longum esset proferre testimonia. Ad hæc Cainanem in Lucæ Evangelio antiqua omnia, & emendata exemplaria præferunt. Præferunt Græci codices, præfert Latina editio, præfert Arabica, præfert Persica, præfert Æthiopica, præfert Hebraica Romæ adornata anno 1667, codices denique præferunt Complutenses. Illud etiam animadvertere juverit, quod licet leviuscula menda Latinæ editionis auctoritati minime officiant, postquam tamen a Tridentinorum Patrum Senatu αὐθεντικὴ declarata est, temere scatere mendis, erroribusque levioribus dicitur, ut egregie Laurentio Berti observatum, nisi certa, atque perspicua, quæ rem conficiat, demonstratio afferatur. Atque huc spectat decretum gravissimum Patrum amplissimorum Concilii Tridentini Interpretum latum anno 1576. ad diem 16. Kalendas Februarias. Eo enim edicitur, ne vocem quidem, nec syllabam ab editione nostra delendam esse, cujus quidem decreti nollem, se Scriptores Catholici ignaros ostenderent, auctoritatem multo minus negligerent.

59. Assentiri igitur nequeo Hugoni Grotio, alta voce inclamanti, Cainanis nomen primum aliena manu per Lucæ contextum permeasse, *deinde, cum late spargi ea lectio per Lucæ exemplaria cœpisset, a Græcis Christianis etiam in versione Geneseos secundum LXX. inter Arphaxadum, & Sale interpositum fuisse* (*b*). Mirum vero extitisse neminem de Hebræis Christianis, qui tale aliquid in Hebræis etiam codici-

(*a*) Lib. 2. de Locis Theol. cap. 18.
(*b*) In cap. 3. Lucæ.

dicibus faceret. Scio, in celebratissimo codice manu scripto, quem Theodorus Beza Cantabrigiensi Academiæ dono dedit, Cainanis nomen desiderari. Scio, eundem esse antiquissimum, ex Galatia in Galliam absportatum, servatumque in S. Irenæi prope Lugdunum cœnobio, unde postea sublatus est anno 1562., cum bella civilia gererentur. Scio denique, tanto haberi in honore, & pretio ab Heterodoxis nonnullis, ut Hofmannum non puduerit scribere: *desperatæ, ut arbitror, caussæ luculentum præbet indicium* (a). At quis etsi natura lenissimus non stomachetur, nec tantam hominis arrogantiam moleste ferat? Nam in primis nobilissimus ille codex, teste, atque auctore Millio, *Variis in novum Testamentum lectionibus*, multis vitiis, & erroribus affluit; deinde nulla committit ratio, ut tot aliorum codicum auctoritati, ac fidei præferatur. Deus bone! Universa, qua longe, lateque fluxit, Ecclesia totis fere 16. sæculis codices corruptos adhibuit, uni tandem Bezæ reservabatur gloria, ut in codicem tam exploratæ auctoritatis incideret. Moveor hoc etiam plurimum, ne Cainanem ex Patriarcharum numero evellendum putem, quod non nisi auctoritatis momentis controversia ejusmodi sedari posse videatur. Cum ergo tum Græci sacrorum librorum Interpretes (§.57.), tum vero B. Lucas (§.58.) adeo perspicue Cainanis meminerint, adversarii vero negantibus tantum argumentis ducantur, idest editionum quarundam taciturnitate, & silentio, constituere non injuria possumus, eos caussa excidisse. Argumenta enim ajentia, si cætera paria sint, longo intervallo præponenda negantibus; aliunde etsi justa, & legitima caussa esse non potest, cur quis mentiatur, at certe, cur verum taceat, aut dissimulet, esse potest. Adhuc ne codicem Cantabrigiensem commemoras? Proferam ego Alexandrinum, de quo paullo post, Nicænorum circiter Patrum memoria exaratum, ubi Gen. cap. 11. Cainan in Patriarcharum Collegium cooptatur his verbis: καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν τριακόντα πέντε ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Καϊνᾶν. Nescio enim quid in mentem venerit auctori Hertzianæ Bibliorum editionis, cum scripsit, Cainanis nomen ab Alexandrino codice

 abes-

(a) Observ. Exeget. ad Chronol. sacram.

abesse (*a*). Ego enim in editione, qua utor, quæque ex illo codice expressa est, sine ulla dubitatione reperio.

60. Quæ cum sint, merito sane summus, peritissimusque Theologus Melchior Canus denunciat, *nec sine caussa LXX. Interpretes Cainam generationem addidisse, nec sine mysterio eandem Moysem prætermisisse. Utrumque vere, utrumque prudenter factum esse* (*b*). Quo magis etiam reprehendendos censeo, qui aperte, ac sine ullo modestiæ, aut pietatis genere affirmant, errasse Græcos Interpretes, eosdemque Lucam in errore secutum, quod sua ætate vulgo Cainan Arphaxadi filius haberetur. Etenim si sciens, prudensque fictam a 70. Interpretibus fabulam cum Evangelio Lucas commiscet, errat profecto, eoque magis, quo dedita opera sacrosanctam Evangelii majestatem, ac fidem commentitia narratione contaminat. Nam quod auctores habuerit gravissimos, quorum errorem suffragio suo approbaret, id si Scriptorem fortasse culpa, Evangelium certe errore liberare non poterit; nobis autem in primis cavendum est, ne Lucam, atque adeo Christi Evangelium divina auctoritate fraudemus. Equidem Hieronymus disputans adversus Helvidium fatetur, Evangelistas multitudinis opinionem quandoque exprimere, quæ, ut inquit, vera est historiæ lex. Id quidem recte, proprieque dicitur, si ad voces spectes. Non solum enim historici, sed etiam Philosophi, atque omnes omnino sapientes viri, licet aliter, ac vulgus sentiant, cum vulgo sæpe loquuntur, nec loquuntur falso tamen. Sic Moses Lunam luminare magnum vocavit, quod omnium Planetarum maxima judicio sensuum videatur, etsi nec ea magnitudine prædita revera sit, nec luce sua fulgeat, sed collustretur a Sole. Si tamen sapientes viri non solum loquerentur cum vulgo, sed leves etiam, & commentitias opiniones probarent, & falso loquerentur, & voluntarii erroris culpam non possent effugere. Sed hactenus de Cainane.

61. Restat, ut illis respondeam, qui editionis Græcæ exemplaria Judæorum fraude, ac malitia in Christianæ religionis odium adulterata fuisse conjiciunt. Vetus est hæc que-

(*a*) In Not. ad 2. cap. Lucæ.
(*b*) Lib. 2. de Loc. Theol. cap. 18.

querela, & opinio, quæ nonnullorum Patrum animis alte insederat, Justini præsertim, Tertulliani, & Origenis; sed nescio, an accusatio ulli satis idoneo argumento, testimonioque innitatur. Quibus ego rationibus movear, exponam quam brevissime, ne diutius Lectoris patientia abutar. I. Igitur si Judæi Græca exemplaria corrupissent, fœdeque vitiassent, vitiassent certe, nato Christo O. M., quo tamen tempore fraus ex animi non successisset sententia, nisi forte in codicibus, qui in eorum manibus versabantur. Quin ad hos quoque quod attinet, *incredibile est*, inquit commodum Augustinus, *Judæorum gentem tam longe, lateque diffusam uno consilio conspirare potuisse in hoc conscribendo mendacio, & dum aliis invident auctoritatem, sibi abstulisse veritatem* (*a*). II. Si per summam fraudem, atque malitiam sacrosancta de Messia oracula invasissent, natura ipsa impellimur, ut credamus, id maxime eos adversus oracula, quæ apertissima omnium, atque clarissima sunt, molituros fuisse. At plura ejus generis testimonia salva adhuc, & incolumia in Græcis extant codicibus, suaque sponte legentibus incurrunt in oculos. III. Ne dolus ipse se pueriliter proderet, expediebat eadem in Hebræis exemplaribus loca depravare, atque pervertere, quæ in Græcis fallendi consilio malitiose interpolassent; alioquin Judæorum conatus non satis prospere cecidissent. Verum qui poterant duo simul contextus adulterari, & corrumpi, contra magna vi obnitentibus tum aliis, tum Judæorum plerisque, qui acri semper studio etiam, atque etiam providebant, ne sacrorum librorum violaretur integritas, parati crudelissimis potius suppliciis corpus suum objicere, atque ipsam mortem oppetere, quam animati ad unicam divinæ legis particulam immutandam, testibus oppido locupletissimis Josepho (*b*), & Philone apud Eusebium (*c*)? Quam in rem narrat etiam Augustinus, si aliqua culpa in terram cecidisent sacri libri, delictum Judæos, veluti crimen gravissimum, publico constituto jejunio, expiasse (*d*). Sed esto, Judæi a nostra religione abhorrentes in dolum, malitiamque

(*a*) Lib. 15. de Civit. Dei cap. 13.
(*b*) Lib. 1. cont. Apion.
(*c*) Lib. 8. Hist. Eccles. cap. 6. & 8.
(*d*) Lib. 15. de Civit. Dei cap. 13.

que consenserint. Quid tamen sibi non debuissent metuere a Christianis ex Hebraico genere, in quorum Bibliothecis, vel ædibus arcana illa, atque divina volumina in nativa Hebraica lingua diligentissime servabantur?

62. Jure ergo hoc constituere possumus, Græcos nostræ ætatis codices, sive LXX. Interpretum editionem eandem plane esse, ac quæ apud Judæos ante Christi Jesu tempora percrebuerat, quamque ab illis quasi per manus traditam nostri acceperunt, etsi non inficior, mendis pluribus redundare, quæ sive incuria, sive audacia Librariorum, sive etiam longinquitas temporum eo derivarunt. Ab hisce erroribus, qui & antiquiori memoria magno numero irrepserant, Græci ut codices purgarentur, tres olim LXX. Interpretum adornatæ editiones fuerunt, quæ summo in honore, & pretio habebantur. Una, tanquam Auctori, accepta referri debet Origeni, altera Hesychio in Ægypto sacrorum Antistiti, tertia Luciano Antiocheno Sacerdoti, & martyri, quæ tamen nonnullis nova potius interpretatio visa est, quod Lucianus Græca LXX. Interpretum exemplaria ad Hebræi codicis fidem studiose emendata edidisset. Notum est autem, quam splendidum, & illustre tribus hisce editionibus auctoritatis Hieronymus dederit testimonium. *Alexandria, & Ægyptus*, inquit, *in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat: mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius, & Pamphilus vulgaverunt; totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat* (a). Quantum tamen ex manu scriptis, qui supersunt, codicibus intelligere est, non multum editiones hujusmodi inter se differebant, errorum præsertim ratione non habita, quos constat, a Librariorum partim inscientia, partim oscitantia manavisse.

63. Quemadmodum autem vetustiori ætate triplex LXX. Interpretum curata editio est; ita duobus abhinc circiter sæculis, Typographiæ arte inventa, optimarumque disciplinarum studiis quasi postliminio revocatis, tres aliæ editiones eorundem Interpretum insignitæ nomine prodierunt, Complutensis, Aldina, Romana. Prodiit Complutensis anno

(a) Præfat. in Lib. Paralip.

no 1515., Cardinalique Ximenes re, & nomine amplissimo vulgo tribuitur, quod se Theologis ducem, auctoremque praebuerit ad eam capessendam provinciam, & sumptus liberaliter fecerit. Aldina in lucem exiit Venetiis triennio post ex Aldi Manutii officina, operam Aldo suam Andrea Asulano socero, aliisque eruditis viris navantibus. Ultima Romae prodiit anno 1587. atque a Sixto V., quo Pontifice absoluta est, Sixtina editio appellatur. Harum editionum quae caeteris palmam praeripiat, quaestionem esse arbitror non valde explicatu difficilem. Nam etsi Vossius Sixtinam editionem omnium minimi fecerit, viri tamen plerique doctissimi Morinus, aliique de nostris, de Heterodoxis Waltonus, Usserius, Grabius, Hodius, Carpzovius editionibus Complutensi, & Adinae concordissime anteponunt, eandemque propius, quam caeteras, ad illam principem, atque primariam LXX. Interpretum editionem accedere non immerito existimant. Sixtina enim editio non modo ad pervetetem Vaticanum codicem, sed diligentissime etiam ad LXX. Interpretum testimonia exacta est, quae in veterum Patrum operibus legebantur. Caeterum suis adhuc, leviusculis licet, affluit, & redundat erroribus, quos prolixe, magnaque in primis eruditionis gloria, atque praestantia Natalis Alexander persequitur.

64. Quamvis autem Romana haec editio tanta elaborata industria sit, ut cum merito suo, tum prudentissimi cujusque judicio superioribus, quas dixi, editionibus praeferetur; *palmam tamen*, si Carpzovio fides (*a*), *Romano exemplari hac nostra aetate dubiam fecit Anglicana editio* alia ab Ernesto Grabio anno 1707. suscepta, & ex antiquissimo, pretiosissimoque Alexandrino codice instituta. Codicem hunc (pergratum enim, opinor, compluribus faciam, si Anglicanam editionem paucis saltem attingam), codicem igitur hunc Alexandria Constantinopolim secum detulerat Cyrillus Lucaris, primum illius, deinde urbis hujus Graecus Patriarcha, Caroloque I. Britanniae Regi per Thomam Roe, ejus ad Turcarum Imperatorem Legatum, dono misit, adjecta hac, quae brevem codicis repraesentaret notitiam, schedula. *Liber iste Scripturae sacrae V. & N. Testamenti, prout ex traditione habemus, est scriptus manu Theclae, nobilis fae-mi-*

(*a*) Crit. sac. par. 2. cap. 2. §. 2. pag. 537.

minæ Ægyptiæ, ante mille, & trecentos annos circiter, paullo post Concilium Nicænum. Nomen Theclæ in fine libri erat exaratum; sed extincto Christianismo in Ægypto a Mahometanis, & libri una Christianorum in similem sunt redacti conditionem. Extinctum ergo & Theclæ nomen, & laceratum, sed memoria, & traditio recens observat.

Cyrillus Patriarcha Constantinopolitanus. Qui exemplar illud veteris, & novi Testamenti codicem nominat, quod divinos utriusque fœderis libros una cum Apocryphis veteris, ut ex Librarii indice liquet, complectitur. Opinatur autem Hodius, Alexandrinum codicem ad quoddam Monasterium Theclæ sacrum spectasse, ea vero re Theclæ nomen codici adscriptum fuisse; statuit tamen Grabius, intelligendam hic esse virginem Nicænis posteriorem Comitiis, Gregorioque Nazianzeno familiarem, & intimam, ad quam tres extant illius epistolæ, quibus nostræ virtus, ac pietas summis laudibus celebratur. Certe eum codicem in lucem quarto sæculo prodiisse, vel inde luculenter ostenditur, quod in Pauli epistolis nulla capitum facta distinctio, & quasi secretio sit; quam tamen distinctionem pius, doctusque vir jam ab anno 396. Arcadio quartum, & Honorio tertium consulibus, induxerat, teste in primis Euthalio præfatione in easdem epistolas, & Anonymo in historia *de Pauli martyrio* eidem præfationi supposita.

Cum igitur liber exaratus a tot sæculis esset, ipsaque longinquitate temporis pluribus in locis ita confectus, ut magnam legentibus moram afferret, atque molestiam, vix primum pervenit in Angliam, cum statim de eo edendo deliberatum est. Primus laborioso operi manum admovit Patricius Junius, deinde, Fello, Pearsonioque jubentibus, Thomas Smithus Oxoniensis Collegii socius, a quibus re non confecta, tandem eam sibi depoposcit, vindicavitque provinciam Joannes Ernestus Grabius, fretusque Reginæ Annæ liberalitate edidit primum volumen anno 1707., cui tria alia paullo post accessere. Sic vero editionem omnem instituit, ut contextum Græcum verbo ad verbum ex Alexandrino codice expresserit, quoties vero hiatus occurrit propter litteras vetustate exesas, aut deletas loca vacua vel ex ingenio, vel ex aliis codicibus, editionibusque expleverit.

65. In

65. In his tamen hominis conjecturis, in totaque supplendi codicem ratione, ac via multa habet Lambertus Bos, quæ desideret. Atque idem præterea multa ejusdem codicis loca vitiata, atque mendosa esse deprehendit, ut cum verbi gratia Regum lib. 1. cap. 18. v. 7. legitur ἐξῆλθον pro ἐξῆρχον, & alia id genus sexcenta. Fatendum est etiam, Alexandrinum exemplar & in Genesi, & lib. 1. Regum, & in Psalmis suis scatere lacunis, quæ non parum ejus luminibus obstruunt. Ex Jonica vero scribendi ratione, quæ sæpe se prodit, efficitur, Librarium, non ipsum per se exemplar, unde codicem apparabat suum, legisse, sed tantum alio dictante excepisse, quæ scriberet, adeoque vocibus, aut syllabis non satis distincte pronunciatis, aut perceptis, imperite litteras confudisse. Ad hæc duo Grabius dissimulare non potuit, eundem Librarium non intellexisse sacros, quos describebat, libros, tum vero posterioris ætatis Librarios, hinc inde abrasis integris versibus, alia verba posuisse, aut saltem lineis pluribus injuria temporum exesis, novo eas atramento pinxisse; ex quo fieri necessario debuit, ut in his locis de veteri scriptura dubii simus, in illis autem, quæ primum, & cujusmodi fuerit, omnino ignoretur. Itaque etsi Grabius ipse tantam esse putet Alexandrini codicis nobilitatem, atque præstantiam, ut paratam abs se editionem Romanæ longo intervallo prætulerit, ex his tamen, aliisque, quæ lubens prætereo, ejus codicis infortuniis, facile optimus, & ingenuus quisque perspiciet, nescio quid amplius, quam res ipsa patitur, sibi Grabium arrogasse. Hominis non minuimus gloriam, editionemque Britannicam magno, ut decet, habemus in pretio; Romanæ tamen principem, quem hactenus nostro judicio tenuit, locum deferimus, ac retinemus. Neque vero aut partium studio, aut ulla permotione mentis abripimur. Nam qui nos, ac studia nostra penitus norunt, ii, ut serviamus tempori, ut aliquid Romanorum auribus demus, vereri non poterunt; cum præsertim vel Brianus Waltonus de Alexandrino codice, atque editione Romana eandem fere, ac nos, visus sit pronunciare sententiam. Itaque non satis enucleate, nec vere scriptum illud a Carpzovio ducimus: *scinduntur in partes Critici: Anglis pro sui codicis præ Romano præstantia certantibus, e quibus cum-*

cumprimis Grabius.:... *post Usserium in syntagmate cum cura egit*, *Pontificiis vero stantibus pro Vaticano* (a).

66. Nos autem, his rebus copiose disputatis, operi jam absoluto tanquam fastigium imponemus. Quoniam tamen semidoctus ipse semidoctos plurimos videre mihi videor, qui, vix oculis in hanc qualemcumque exercitationem nostram conjectis, præpropere fortasse, ut semper solent, illud dicturi sunt, *etiam nunc de LXX. Interpretibus? Ligna in lucum defert*: hos, dum finem scribendi facio, moderate placet, ac leniter aureis in Panegyrico Isocratis verbis refellere. Οὐκ ἔτι φευκτέον ταῦτ' ἐστὶ, περὶ ὧν ἕτεροι πρότερον εἰρήκασιν, ἀλλ' ἄμεινον ἐκείνων εἰπεῖν πειρατέον. *Non hercle ea fugienda sunt, de quibus alii prius tractarunt, sed opera danda est, ut meliuscule*, & apte, accommodateque ad verum *disseramus*; quod tamen an assequutus sim (secutum me certe profiteor, præ meque fero), doctiores, ac bene morati homines incorruptius judicabunt. Eo etiam magis in hoc studiorum genere mihi elaborandum putavi, quod multi jam libri scripti sunt ab eruditis illis quidem viris, sed Heterodoxis tamen, maleque erga Romanam Ecclesiam affectis, ad quorum disciplinam, perniciosasque sententias, ne incautiores tanquam ad saxum adhærescant, e re fuerit, atque e dignitate Reipublicæ viribus omnibus providere.

(a) Loc. cit.

F I N I S.